DISSERTATIONES
IOANNIS DARTIS

IN

VNIVERSITATE PARISIENSI QVONDAM PROFESSORIS REGII

DE

STATV ECCLESIAE

TEMPORE APOSTOLORVM

ET

DIONYSII PETAVII

AVRELIANENSIS E S. I.

DE

EPISCOPORVM DIGNITATE ET IVRISDICTIONE RECVSAE

DVM

POSITIONES EX VNIVERSO IVRE ECCLESIAST. SELECTAS

PROPVGNARET

REVERENDISSIMVS, ET ILLVSTRISSIMVS

DOMINVS ANTONIVS VETTER

COMES A LILIIS

ECCLESIAE CATHEDRALIS OLOMVCENSIS CANONICVS

IN AVLA IVRIDICA

HORA IV. POMERIDIANA DIE MENSIS DECEMBRIS

M. DCC. LXVI.

VINDOBONÆ,

TYPIS JOANNIS THOMÆ N.OB. DE TRATTNERN,

CAES. REG. AULAE TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOLAE.

IOANNIS DARTIS

IN

VNIVERSITATE PARISIENSI QVONDAM

PROFESSORIS REGII

DE

STATV ECCLESIAE

TEMPORE APOSTOLORVM

LIBER SINGVLARIS.

INDEX CAPITVM

LIBRI SINGULARIS

DE

STATV ECCLESIAE TEMPORE APOSTOLORVM

CAPVT XI.

Quomodo se gesserit Christus in iis tribus statibus, et regiminibus Ecclesiae constituendis.

CAPVT XII.

Ex eo, quod Christus separatim illa promiserit, et dederit, multas oriri difficultates.

CAPVT XIII.

Ostenditur potestatem datam Apostolis, simul constitutis, fuisse aequalem, indiuiduam, indistinctam, et in solidum, et cum iurisdictione, per eam Apostolos fuisse Episcopos sine Episcopatu, et sub Christo capite, eiusque Ministros: qui est primus Ecclesiae status.

CAPVT XIV.

Rationes plures aperiuntur, propter quas Christus voluit Ecclesiam suam aliquo tempore esse in eo statu.

CAPVT XV.

Ostenditur soli Petro datam postea fuisse aliam potestatem, et statum Ecclesiae mutatum, et Apostolos sub Christo et Petro tunc ministrasse.

CAPVT XVI.

Probantur sigillatim singula, quae dicta sunt de potestate Petri capite superiori.

CAPVT XVII.

Rationes redduntur, propter quas Deus voluit suam Ecclesiam esse aliquo tempore sub vno solo Episcopo, nempe Petro.

CAPVT XVIII.

Tertius status Ecclesiae aperitur post diuisionem Ecclesiarum factam ab Apostolis.

CAPVT XIX.

Adhuc amplius expenditur, quomodo Ecclesiae particulares constitutae sint.

CAPVT XX.

Rationes redduntur huius tertii status, quo fuit facta Ecclesiarum partitio.

CAPVT XXI.

Conclusio operis, et admonitio ad Lectorem.

DE STATV ECCLESIAE TEMPORE APOSTOLORVM, LIBER SINGVLARIS.

CAPVT I.

Quaedam facilius creduntur, quam sciuntur, et ideo sciuntur, quia creduntur.

Vere et rectiſſime dicebat olim orator antiquus, *longe aliud eſſe, laborem ſcire purgati ſoli, et fructus editos intueri*; et ſane ita eſt, ſolique norunt agricolae, vineas magno ſtudio ponendas, et maiore eſſe excolendas. In vineis enim conſtituendis fit primum poſitio ſeminum, quae ſibi altum cubile ſubſterni non deſiderat, ſed terram e ſulcis bipalio motam ita leuiter egeri, vt ſolum tantum tumidius appareat, quo ſemina velut hoſpitali atque etiam materno ſinu recipiantur: deinde ordinatio fit, qua in varias ſemitas vineae diſtinguuntur, atque flectuntur.

In excolendis vero, primum finis fodiendi vineam nullus eſt, nam quanto altius foderis, tanto vberiorem fructum

reperies, deinde materies ferro coercetur ad secundam, interdum vsque ad tertiam gemmam, quo robustiores palmites agat; tum fit vinearum supplantatio, stercoratio, ablaqueatio, statuminatio, et cum vuarum acini maturuerint, opus est, vt canistri et corbulae farciantur, vasa lauentur, dolia picentur, torcularia componantur, vuae calcentur, mustum in dolia condatur, et in eo veluti fiat vinum, atque nutriatur, antequam venire in calicem possit. Hoc soli, inquam, norunt agricolae, multaque alia sunt ante oculos nostros posita, et in vsu quotidiano collocata, quae tamen in magna hominum ignoratione versantur.

Haec vero eo spectant, vt dicamus similiter multos esse Christianos, qui mysteriis nostris per sacramenta communicant, et fidem habent, atque charitatem, sed non secundum scientiam, vt loquitur Apostolus in epist. ad Romanos, vbi Origenes ait, ponendam esse differentiam inter fidem simpliciter traditam, et fidem, quae est secundum scientiam, idque confirmat ex verbis aliorum Apostolorum dicentium Saluatori: *Auge nobis fidem; hoc est* (ait) *vt habentes eam fidem, quae non est secundum scientiam, habeamus eam, quae est secundum scientiam:* et alio loco ipsius D. Pauli dicentis: *nisi sine causa credidistis, non intelligentes causam, propter quam erat credendum*, ita vt alii sint, qui cum causa credant, alii, qui sine causa, illi fide simplici, isti etiam ratione fidei muniantur in fide, vtrique vero possint esse firmi et constantes in fide, vt recte idem Origenes tract. 35. in Matth. quam differentiam fidei etiam agnouit Gregor. Nazianz. iambico carmine 15.

πίςις δέ διπλὴ, ἡ μὲν ἐκ λόγυ βίας,
ἡ καὶ δικαία, ἡ δ' ἕτοιμος συνδρομή.
Fides est duplex, una ex rationis vi,
Quae iusta est, alia facilis, est assensio.

Atque licet, vt ait D. Chrysost. homil. 27. ad Romanos, *obedientiam fides exigit, non curiositatem*, et homil. 6. ad Cor. 1. *quo sunt manifestiora fidei nostrae mysteria, tanto magis minuitur fides.* Nihilominus tamen fides non dedignatur rationem, vt ait Origenes in Philocalia c. 18. *ἐπαινετή τε ἐςι καὶ ταῖς ἀρχῆθεν κοιναῖς ἐννοίαις συναγορεύει.* Id est, laudabilis est, et communibus ab initio rerum sensis conuenit. Imo habet fides omnis suas assensiones et demonstrationes, vt probat Eusebius lib. 1. de praeparatione Euangelica: *Vbi fatetur se librum edidisse de demonstratione Euangelica, propter eos, qui sibi persuasum habebant disciplinae Christianae professionem nulla posse ratione defendi, sed qui nomen illud amplectuntur, eos, quod semel visum fuerit, inconsiderata fide, negligentique ac temeraria quadam assensione comprobare, nullumque euidens, certumque argumentum habere, quo rerum, quae promittuntur, veritatem demonstrent.* Quamuis enim veritas fidei nostrae habeat suam veluti substantiam, qua per se subsistit, ea tamen admittit demonstrationes, ne scilicet prosternamur ab haeresibus, quae in rationem nostram naturalem, et in sensum communem faciunt incursiones, vt recte Clem. Alex. stromat. lib. 1. *Est*, ait, *quidem per se perfecta et nullius indiga Seruatoris doctrina, cum sit Dei virtus, et sapientia, accedens autem Graeca philosophia non veritatem facit potentiorem, sed*

debilem aduersus eam efficit sophisticam argumentationem, et propulsans dolosas aduersus veritatem insidias, dicta est vineae apta sepes et vallus. Idemque lib. 4. stromatum facit ideo differentiam inter communem fidem, et fidem perfectam, πίστεως γὰρ οἶμαι τελειότης πρὸς τὴν κοινὴν διαστέλλεται πίστιν, id est: *Fidei*, ait, *ut existimo, perfectio distinguitur a communi fide.* Fidem communem vocat simplicem, & sine vlla demonstratione, fidem perfectam eam, quae coniuncta est cum demonstratione et cognitione, non quidem mysterii secundum se, sed potius extra se, quatenus probatur mysterium non repugnare rerum naturae, et voluntati diuinae. Et lib. 7. stromatum, ait eos, qui fidem habent sine cognitione, esse veluti pueros, alios vero veluti viros, ostenditque, omnes etiam alias virtutes cum cognitione coniunctas, esse se ipsis maiores, vt verbi gratia virum ratione praeditum, fortem potius dici debere propter cognitionem, quam puerum et infantem, licet vterque eadem tormenta patiatur.

Sed notandum est, demonstrationes ad fidem spectantes esse longe diuersas a demonstrationibus scientiarum: nam demonstrationes scientiarum praecedunt ipsam scientiam, demonstrationes vero fidei ipsam fidem subsequuntur; ita vt prius credendum sit, & per fidem sciendum, quam veniamus ad cognitionem demonstrationis, per quam credimus, vt recte Diu. Athanas. in oration. quod vnus est Christus. *Primum credere oportet, et glorificare, et secundo in sublimi rationem istarum rerum petere, non humi ex sanguine et carne conquirere.* Et Diu. Augustin. contra epistolam fundamenti cap. 14. *Ego namque Catholicam fidem profiteor, et per illam me ad certam scientiam peruenturum praesumo.* Et tractatu 29. *Si non*, ait, *intellexisti, crede, intellectus enim est merces fidei, ergo noli quaerere, intelligere, vt credas, sed crede, vt intelligas, quoniam nisi credideritis, non intelligetis.* Et Isaiae 79. *Secundum septuaginta habetur, nisi crediderimus, non intelligemus.* Immo fides multarum rerum naturalium cognitionem adfert, quae penitus sine ea ignorarentur, et multas dubitationes atque difficultates inextricabiles soluit, vt recte probat Iustinus Martyr in expositione fidei de recta confessione, vbi ita concludit: *Tibi talia inquirenti cum ambiguitas incesserit, fac fidem expedias promptam, qua ea, quae in quaestionem veniunt, soluas.* Et ideo non sine causa fides dicitur cognitio 1. Corinth. 11. *Si cognouissent*, ait, *nunquam Dominum maiestatis crucifixissent, si cognovissent*, id est, *credidissent in eum* Fides ergo ipsam praecedit rationem, et demonstrationem, vt recte Diu. Augustin. sermon. de Trinitate. *Fidelis*, ait, *factus sum, credo, quod nescio, et propterea scio, quia nescio nescire, quod nescio.* Et Diu. Hieronym. dialogo contra Luciferianos: *Ridicula*, ait: *penitus assertio ante de fide quemquam disputare, quam credere.* Et Tertullian. libro de praescript. *Cum credimus, nihil desideramus vltra scire.* Et Iulianus Africanus lib. 2. de partibus Diuinae Legis cap. 30. *Fides nostra super ratione quidem est, non tamen temerarie et irrationabiliter assumitur, ea enim, quae ratio edocet, fides intelligit, et vbi ratio defecerit, fides praecurrit, non enim vtique audita credimus, sed ea, quae ratio non improbat,* Et

A 2

si quae ratio praecedat fidem, est ea, qua iudicamus credendum esse Deo, nec ei contradicendum, licet, quod ab eo dicitur, videatur esse contrarium nostris sensibus: constat enim eius verbum nobis potius esse debere et antiquius nostris opinationibus, et ipsis sensibus; eius enim verbum decipi, et circumueniri non potest, sensus vero nostri decipi possunt: verbum Dei nunquam labefactari, nunquam concidere, sensus plerumque falli possunt, vt recte dicit D. Chrysost. ad c. 26. Matth. Ratio istorum est, quia illae demonstrationes, quae fidem subsequuntur, fundantur in veritate, et certitudine rei reuelatae, et sunt tantum solutiones ad ea, quae possunt obiici, quomodo D. Petrus dicebat, ep. 1. cap. 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe.* Et Diu. Paulus ep. ad Tit. 1. *Vt potens sit exhortari in doctrina sua, et eos, qui contra dicunt, arguere.* Ita, vt ipsamet fides sit ratio, et fundamentum credendi, eamque sequatur persuasio, qua videmus esse credendum, vt recte Clem. Alex. lib. 1. stromat. *Qui autem ex fide conuiuari instituerit, is ad diuinorum verborum susceptionem firmus est, et stabilis, vt qui iudicium, quod bona nititur ratione, nempe fidem habeat, eum autem hinc ex abundanti sequitur persuasio, et hoc erat illud propheticum: Nisi, credideritis non intelligetis.* Esaiae 6. Nam, vt recte Iulianus Africanus loco citato: *Non omnia, et vtcunque audita credimus, sed ea, quae ratio non improbat.*

CAPVT II.

Inter ea, quae ideo sciuntur, quia creduntur, esse corpus mysticum Ecclesiae.

Inter eas autem res, quas ex parte scimus; et in quibus ex parte prophetamus, seu quas plerique omnes credimus fide simplici, sed pauci fide cognoscimus, quae fit secundum scientiam, est corporis Ecclesiae mysterium, et ordinis Sacerdotalis Sacramentum. Credimus enim Ecclesiam esse vnicam, et indiuiduam, vnumque Episcopatum, credimus Apostolos omnes a Christo fuisse institutos Episcopos, et Petrum tamen eorum fuisse primarium; sed non credimus secundum scientiam, et quanquam nobis notus sit Deus, nota Ecclesia, notus Petrus, inexplicabilis tamen est eorum substantia; Ideoque Clem. Alexandrinus lib. 7. stromatum dicebat: *Ecclesiam esse rem praestantissimam, omnia alia superantem, et nihil habentem simile vel aequale:* πάντα τὰ ἄλλα ὑπερβάλλουσαν καὶ μηδὲν ἔχουσαν ὅμοιον ἢ ἴσον ἑαυτῇ. Et Gregor, Nazianz. orat. 2. vocabat eam *vnum corpus perfectum,* ἓν ἄρτιον σῶμα. Et merito idem Clem. Alex. libro 1. Paedagogi cap. 6. eam vocat *miraculum mysticum*, et in hunc modum de ea dicturus exclamat: *O miraculum mysticum! vnus quidem vniuersorum Pater, vnum est etiam verbum vniuersorum, et Spiritus Sanctus vnus, et ipse est vbique, vna autem so-*

la est Mater Virgo, mibi autem placet eam vocare Ecclesiam, lac non babuit mater haec sola, quoniam sola non fuit mulier, virgo est autem simul et mater integra quidem et inuiolata, vt virgo, amans autem, vt mater, etc. Quamobrem Eulogius apud Photium orat. 5. disputat contra illos, qui humano ingenio Christianam fidem comprehendi posse existimant. Caussae vero, quae faciunt difficilem Ecclesiae cognitionem, sunt admiranda, quae in ea reperiuntur.

Admirandum enim est primo Ecclesiam esse corpus et spiritum, sensibilem et intellectualem, corpus denique spirituale, vt constat ex Clem. Alex. stromat. lib. 7. τὸ δὲ σῶμα τὄτο πνευματικὸν τετέςιν ἡ ἁγία ἐκκλησία. *In boc autem corpus spirituale*, id est, *sancta Ecclesia.*

Admirandum est 2. eam esse typum Diuinitatis et humanitatis Christi, vt postea ostendemus.

Admirandum est 3. Ecclesiam esse simul virginem et matrem, vt dicitur a Clemen. Alexand. loco supra citato. Et a Philippo Presbytero commentario in Iob. 14. *Dicit*, ait, *Propheta, mater Sion, et filia Sion, dicet homo, haec et Ecclesia est, non quod mater Sion, et filia Sion, sed mater et in praecedentibus ad Dominum filiis, filia est in subsequentibus, id est, ad fidem quotidie venientibus, vel siue in ministris et plebibus ipsa, eademque est mater et filia.*

Admirandum est 4. Ecclesiam esse vnam in cœlo et in terra, sed terrenam, et supernam Hierusalem. Nam vt ait Gregor. Nazianz. orat. 11. *Coelesti: et superna Hierusalem, quae est ciuitas Dei viui, et continet Ecclesiam primitiuorum conscriptam in coelis, cum hac terrestri vnum veluti Ecclesiae conficit Sacramentum.* Et idcirco, vt recte adnotat Clem. Alex. lib. 4. stromat. precamur etiam, in terra fieri voluntatem Dei, sicut in coelo, eo, quod terrestris Ecclesia sit coelestis imago. *Coelestis*, ait, *Ecclesiae imago est terrestris, quocirca precamur etiam in terra fieri voluntatem Dei sicut in coelo.* Quod confirmatur ex Procopio in exodum his verbis: *Externa*, ait, *Ecclesia exstruitur ad exemplar Ecclesiae primogenitorum.*

Admirandum est 5. Ecclesiam esse in Episcopo, et Episcopum in Ecclesia, quod tamen dictum est a Diu. Cyprian. epist. 69. *Illi sunt*, ait, *Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens, vnde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo.*

Admirandum est 6. Ecclesiam dici assumtam a Christo cum corpore suo in incarnatione, vt testatur D. Hieronym. in Psalm. 29. *Christus*, ait, *suscepit Ecclesiam, quando humanitatem carnis assumsit.* Et tamen dici a Christo per resurrectionem acquisitam ab eodem D. Hieronym. in Psalm. 77. *Ecclesiam, quam virtute gloriosae resurrectionis suae acquisiuit.* Et dici insuper in cruce ex sanguine illius aedificatam, vt testatur D. Ambros. super Apocal. Ioan. c. 6. *Adam*, ait, *Christum figurauit, Eua vero Ecclesiam, et sicut Eua ex latere viri dormientis facta est, ita et Ecclesia ex latere Christi in cruce pendentis fabricata est, quia eius sanguine redemta et mundata est a sordibus.* Et D. August. enarr. in Psalm. 127. *Viro dormienti Eua coniux facta est, morienti*

Christo Ecclesia coniux facta est; illa de latere vir. cum costa detracta est, haec de latere Christi, quando latus lancea percussum. Sunt denique plurima alia admiranda, quae iam praetermitto.

CAPVT III.

His non obstantibus videndum, an Ecclesiae corporis possit apud nos aliqua ratio constare, vt quid sit Ecclesia, ostendamus.

Nec vero illa nostrae mentis luminibus officiet altitudo Ecclesiae, quin, quantum conniti animo poterimus, efficiamus, vt aliqua nostrae fidei in hoc articulo ratio apud nos Christianos constet, vt quid sit Ecclesiae corpus, primum ostendamus, et quaenam huius corporis admirandae proprietates, deinde vnde statum suum accipiat Ecclesia, et denique quisnam fuerit eius status tempore Christi et Apostolorum, et quisnam etiam hoc tempore existat.

CAPVT IV.

Ecclesia est corpus spirituale et mysticum omni ex parte perfectum.

Dicimus Ecclesiam esse corpus spirituale, et mysticum omni ex parte perfectum, cuius caput est Christus Deus simul et homo, et anima huius corporis est Spiritus Sanctus. Dixi corpus spirituale, et patet ex Clemente Alexandrino loco supra citato lib. 7. stromatum. Dixi corpus omni ex parte perfectum, quod probatur ex Gregor. Nazianz. orat. 1. Dixi, cuius caput sit Christus, et patet ex D. Basilio de Sancto Spiritu. Ex beato Paulo ad Colos. 1. et Ephes. 5. et ex Isidoro Pelusiota lib. 1. ep. 193. et ex multis aliis. Dixi, cuius anima sit Spiritus Sanctus, quod patet ex D. Aug. serm. 186. de tempore. *Quod est*, ait, *in corpore nostro anima, est Spiritus Sanctus in corpore.* Nec vero mirum, nam Ecclesia nullum est aliud corpus, quam ipsum Corpus Christi, ex natura Diuina et humana conflatum; quod vero Ecclesia sit Corpus Christi, testatur Greg. Nazianz. ep. 22. ad Caesarienses, *porro*, ait, *cum omnibus Ecclesiis tanquam Christi corpori summa cura et sollicitudine prospiciendum sit, tum maxime vestrae, quae omnium fere Ecclesiarum mater et antiquitus fuit, et nunc est, atque censetur, et ad quam tota respublica Christiana oculos coniicit, haud secus ac circulus centro circumscriptus.* Et Leo Papa ep. 40. ad Anatolium cap. 2. et D. Bernardus

ſerm. 1. In converſione S. Pauli, qui id probat ex verbis Chriſti dicentis Paulo: *Quid me perſequeris, id eſt*, ait, *corpus meum, Eccleſiam*: Item ſerm. in feſto S. Magdalenae, *duo*, ait: *corpora habet Chriſtus, vnum, quod ſuſcepit ex Virgine, alterum Eccleſiae, quod charius habet benignitas redimentis, denique illud pro iſto morti expoſuit, et tormentis addictus crucis, &c.*

Aſſumpſiſſe etiam Eccleſiam, oſtendit ſermone de verbis Pſalmi: *Quis aſcendet in montem Domini*, vbi de Chriſto dicit, ipſum ſibi omnia vniuiſſe, et aſſumpſiſſe, vel ſubſtantialiter, vel perſonaliter, vel ſpiritualiter, vel ſacramentaliter, et hoc vltimo modo aſſumpſiſſe Eccleſiam. *Et nunc vide*, ait, *quomodo trahat ad ſe omnia, quomodo ei omnia vniantur vnitate ſubſtantiali, perſonali, ſpirituali, ſacramentali, habet in ſe partem, cum quo eſt vna ſubſtantia, habet aſſumptum hominem, cum quo eſt vna perſona, habet adhaerentem ſibi fidelem animam, cum qua eſt ſpiritus vnus, habet ſponſam Eccleſiam vnam omnium electorum, cum quo eſt caro vna, & forte carnalis haec vnio dicenda fuiſſe videbitur, ſed ſacramentalem dicere malui, dignius hoc vocabulum arbitratus, praeſertim occaſionem dante Apoſtolo, vbi ait, Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto et Eccleſia.*

Et ſane Chriſtus aſſumpſit eam, ſicut aſſumpſerat corpus ſuum, et in infirmitate et in fortitudine; in infirmitate quidem, quatenus ſanguine Martyrum creuit Eccleſia, vt vere Tertullianus nominarit: *Martyrum ſanguinem ſemen Chriſtianorum*: Et Gregorius orat. 23. dixerit: *Proſecutiones illuſtriorem quoque, ſplendidioremque Eccleſiam reddidiſſe.* In fortitudine vero aſſumpſit, vt recte habetur in epitome Theodoti, ὁ μέγας ἀγωνιςὴς Ἰησȣ̃ς Χριςὸς ἐν ἑαυτȣ̃ δυνάμει τῃ ἐκκλησίαν ἀναλαβών.

C A P U T V.

Ex eo, quod Eccleſia ſit corpus Chriſti, ſequitur primo ipſam eſſe typum diuinitatis Chriſti.

Ex eo vero, quod Eccleſia ſit corpus a Chriſto aſſumptum, multa conſequuntur, cum enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus *conſors ſit diuinitatis et corporis*, vt loquitur D. Ambroſ. ad cap. 5. epiſt. ad Hebraeos, ſequitur etiam Eccleſiam communicare diuinitati et humanitati Chriſti; et imitari tum ipſam deitatem Chriſti, tum etiam carnem eius, eu corpus verum.

Imitatur autem primo Deum, vt vnum, nam ſicut Deus author eius eſt vnus vbique, ita et Eccleſia ſemper vna etiam in pluribus locis, ſvt eleganter Clem. Alexand. lib. 7. ſtromatum: *Ex his*, ait, *quae dictae ſunt, manifeſtum eſſe exiſtimo, vnam eſſe veram Eccleſiam, eam, quae vere eſt antiqua, nam cum vnus ſit Deus, et vnus Dominus, propterea id etiam, quod eſt ſumme venerabile, et ex eo quod ſit, ſo-*

lum laudatur, et quod sit immitatio principii, quod est vnum, in vnius ergo naturae sortem cooptatur Ecclesia, quae est vna, quam conantur haereses in multas discindere, et substantia ergo et cogitatione et principio et excellentia solam esse dicimus antiquam, et catholicam Ecclesiam in vnitate fidei, quae est ex propriis testamentis, vel potius ex testamento, quod est vnum diuersis temporibus, in quibus Dei voluntate per vnum Dominum congregat eos, qui sint iam ordinati, quos praedestinauit Deus, cum eos iustos futuros cognouisset ante mundi constitutionem. Ceterum Ecclesiae quoque eminentia sicut principium constructionis est ex vnitate, omnia alia superans, et nihil habens sibi simile, vel aequale.

Imitatur 2. Deum, vt vniuersalem et omnipotentem, omniumque rerum Creatorem, id probatur ex Maximo monacho, in liturgiae expositione cap. 2. his verbis: *Sicut Deus, qui infinita sua potentia omnia fecit, et inuicem sibi, licet diuersa per prouidentiam constringit, et connectit, et circa se tanquam causam et principium et finem omnia continens, facit, vt inter se consentiant, per vnam, qua ad ipsum tanquam ad principium referuntur facultatem, eodem modo sancta Dei Ecclesia eadem, quae Deus in nos facere consueuit, cum enim sint propemodum innumerabiles viri, mulieres, et pueri, et genere, et forma, et gentibus, et lingua, et viuendi ratione, et aetate, studiisque, animis, artibus, et moribus, rursus autem scientia, auctoritate, fortuna, ordine, statu et habitu plurimum a se inuicem disiuncti et differentes, vnam eis omnibus ex aequo dat, et largitur diuinam formam, cor vnum dat, formam vnam, nec est distinctio Graeci et Hebraei, et sint proprietatibus diuersi.*

Imitatur 3. Ecclesia Deum vt trinum in personis, et vnum in essentia, quatenus scilicet vna et eadem Ecclesia est multiplex ratione locorum, nam distributio prima et generalis omnium Ecclesiarum fuit in tres Patriarchatus, Romanum, Alexandrinum, et Antiochenum, vt vnum esset per tres antistites sacerdotium, ad Trinitatis instar, cui vna est atque indiuidua potestas, vt recte interpretatur Symmachus Papa ep. ad Eonium Arelatensem Episcopum, his verbis: *Nam, dum ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuidua potestas, vnum sit per diuersos antistites sacerdotium.* Ita, vt ex Symmacho dicendum sit, quod sicut in Trinitate vna existente essentia, tamen personae differentes existunt: ita Ecclesia vna est essentia, licet plures particulares existant, et sicut omnes Trinitatis personae originem sumunt a Patre, qui est origo Filii, et vterque Spiritus sancti, ita Ecclesia Romana est origo aliarum. Quod confirmari potest de Maximo monacho in liturgiae expositione cap. 3. *Vna est*, ait, *in substantia Ecclesia, vt quae non vna cum suis partibus propter ipsarum inter se inuicem partium differentiam diuidatur, sed etiam partes ipsas sui ipsius ad vnum relatione ab ea, quae est in vocatione, differentia liberat, et ambo idem inter se esse ostendit, et alterum alteri vicissim idem esse, quod vtrumque sibi ipsi efficit.* Et ex D. Augustino tract. 17. in Ioan. vbi dicit: *Quod Apostoli erant vnum natura sicut Trinitas. Apostoli dicit, id est, Ecclesia.*

CAPVT VI.

Sequitur 2. Ecclesiam esse typum corporis et humanitatis Christi.

Quod Ecclesia multum de corpore naturali Christi habeat, sitque eius typus, multis rationibus probari potest. Et primo est typus corporis Christi. Quia sicut totum corpus Christi est in toto Sacramento seu mysterio corporis sui, et totum in qualibet parte, ita etiam Ecclesia est tota in omnibus Ecclesiis, et tota in vnaquaque Ecclesia, et ratio est, quia Ecclesia indiuidua est; ita, vt qui vnam tenet, omnes teneat, vt recte Optatus Mileuitanus lib. 2. *Videtis*, ait, *vos in parte vnius regionis positos, et ab Ecclesia vestris erroribus esse separatos, frustra vobis solis hoc nomen Ecclesiae cum suis dotibus vindicare, quae magis apud nos sunt, quam apud vos, quas constat ita sibi esse annexas indiuiduas esse, vt intelligatur vna ab altera separari non posse; etenim numerantur in nomine, sed vno intellectu suo iunguntur in corpore, vt in manu digiti, quos interuallis singulos videmus esse distinctos, vnde qui tenet vnum, totos teneat, necesse est, cum vnusquisque a partibus separari non possit. Adde, quod non vnam solum, sed omnes proprie possidemus.* Et hoc est, quod dicere voluit D. Cyprianus ep. 52. his verbis: *Episcopatus vnus est, cuius pars in solidum tenetur.* Et deinceps: *Indiuiduum Ecclesiae Sacramentum.* Et D. Leo ep. ad Episcopos Galliae Prouinciae Viennensis. vbi ita loquitur de Diu. Petro: *Hunc in consortium indiuiduae vnitatis assumptum id, quod ipse erat, voluit nominari.* Et sane in iis locis notandum, Ecclesiam dici indiuiduamvel individuum vitae Sacramentum; omne enim, quod indiuiduum est, vnum est, quod si multis competat, in solidum competit, quia non est commune pro parte, sed in solidum, et ita est totum in toto, et totum in qualibet parte, verbi gratia: Ius seruitutis, quod est indiuiduum, si multis competat, a multis in solidum vindicatur, et defenditur, quia ita commune est, vt tamen pro parte non sit commune, sed vnum sit in multis in solidum et separatim, cum quod vnusquisque habet, idem sit, quod non est proprie commune, sed vnum in multis: *Nec vlla ibi*, vt ait Pomponius, *communio iuris separatim intelligi potest.* Et propterea, cum Ecclesia ex locis ante allatis sit indiuidua, erit etiam vna, nec per multiplicationem diuidetur, sed multiplicabitur potius; licet ratione locorum et materialiter dicatur diuidi.

Secundo, Ecclesia est typus corporis Christi; nam sicut corpus Christi in coelo est vnum, et in terra multiplicatur; *Ita Ecclesia in coelo est vna, et in terris multiplex, pluralis in vnitate, et vna in pluralitate.* Vt loquitur D. Bernardus.

Tertio, sicut corpus Christi, vt est in Sacramento Eucharistiae diuisis speciebus non diuiditur in partes, sed solide multiplicatur, et totum vnicuique fideli in parte datur, vt testatur Greg. Nyssenus in magna catechesi: *Attendere*, ait, *oportet, qui fieri potuit, vt illud vnum corpus, quod tot millibus fidelium per vniuer-*

sum orbem assidue distribuitur, totum vnicuique in parte, quam accipit, detur, et ipsum manet in se ipso totum. Et D. August. ep. 163. *Per partes manducatur, et manet integer totus, per partes manducatur in Sacramento, et manet integer in coelo.* Et Eutychius de Eucharistia. *Totum omne sanctum corpus et pretiosum sanguinem Domini accipit, licet partem horum quis acceperit; diuiditur enim pro indiuiso omnibus propter admixtionem vt sigillum, &c.* Similiter Ecclesia licet multiplicetur, non diuiditur, et multae numero Ecclesiae, vna sunt Ecclesia. Vt recte D. Hilarius in psal. 131. *Superius, ait, erat super vno tabernaculo, iuratum est, nunc autem multa tabernacula introibunt, sunt enim vna Apostolorum Ecclesia, de qua superius votum est plures Eccesiae, et multa tabernacula, sed eadem Dei requies in pluribus est.* Et D. Chrysost. serm. 1. de paschate. *Victima comeditur in vnaquaque domo, multae enim numero Ecclesiae vna sunt Ecclesia, vnus enim in illis est Christus, vbique perfectus et indiuisus; ideo perfecta erat in quaque domo victima.* Qui locus est valde notandus ad confirmationem istius doctrinae.

Quarto, sicut per corpus Christi nos vnum sumus cum Christo, ita et per Ecclesiam vnum corpus mysticum efficimur, vt docet D. Chrysostomus homil. de mystica coena. *Ille, ait, loquitur de Christo, nostras voluntates nectit inter se, et facit nos esse vnum corpus et membra Christi, quia vnum corpus Christi participamus.*

Quinto, sicut corpus Christi habet diuersa membra, quorum vnum caput est, aliud pes, aliud manus; ita Ecclesia habet plurima membra, similia membris corporis Christi, & vnum caput visibile D. Petrum, vt testatur D. Paulus.

Sexto, sicut in incarnatione Christi, sancta Maria alii nupta est, et ab alio repleta, ita et Ecclesia sponsa est Episcopi, sed a summi Spiritus gratia repletur, vt recte D. Ambros. in Euang. Luc. c. 11. *Et ideo, inquit, fortasse Maria alii nupta, ab alio repleta, quia et singulae Ecclesiae Spiritu quidem replentur, et gratia, iunguntur tamen temporali ad speciem Sacerdoti.* Nam etiam ipsos Sacerdotes, et alios in Ecclesia constitutos virtus obumbrat altissimi, vt ait idem diuus Ambrosius in psalmo 44. *Et quod est in corpore nostro anima, est Spiritus sanctus in corpore Christi, quod est Ecclesia;* vt ait diuus Augustinus sermone 186. supra citato.

CAPVT VII.

Quid sit status Personarum.

Iam agendum est de statu Ecclesiae, quod vt intelligatur, ostendendum est prius, quid sit status personarum apud iurisconsultus; status ergo est conditio, constitutio, et qualitas certa personae, quae dicitur caput personae a praestantiori nostri corporis parte, et ideo capitis minutio dicitur status

mutatio lib. 1. D. de capite minutis. Ille vero ſtatus, ſeu caput perſonarum tripliciter conſideratur; ratione libertatis, ciuitatis, et familiae l. vlt. D. de cap. minutis. Ratione libertatis, nempe vt quis ſit liber, nam ſerui ſtatum, ſeu caput non habent l. tert. de cap. minutis. Ratione ciuitatis, vt quis ſit ciuis Romanus, non peregrinus, nam peregrini ſunt extra ciuitatem Romanam l. ſex. §. ſolemus D. de haeredibus inſtituendis, idque ante conſtitutionem Antonini l. 17. D. de ſtatu hominum. Ratione denique familiae, vt quis ſit filiusfamilias, in ſui patris poteſtate, non aliena per adoptionem, vel arrogationem, l. tert. de cap. minutis, idemque vt non ſit etiam ſui iuris per emancipationem, quia emancipari nemo poteſt, niſi in ſeruilem cauſam deducatur d. l. 3. Ex quo notandum, amittere familiam, in qua quis natus ſit, licet fiat ſui iuris, eſſe capitis diminutionem, vt patet in emancipatis. Item venire in familiam alterius eſſe etiam capitis diminutionem, non autem naſci in familia, vt patet de filio naturali, et adoptiuo. Item ſeruum manumitti non eſſe capitis diminutionem, ſed potius ſtatus acquiſitionem, dixi ſtatum eſſe conſtitutionem et qualitatem certam perſonae, certam, tutam, ac bonam, quae non facile immutatur, quod optime probat Tertull. lib. de fuga in perſecutione: *Non ſenſus, inquit, praeiudicat ſtatui; ſed ſtatus ſenſui. Status enim vniuscuiusque certum quid eſt, et dat ſenſui legem ita ſentiendi ſtatum, ſicuti eſt, ſi autem ſtatu quidem bonum, quod a Deo venit, (nihil enim a Deo non bonum, quia diuinum, quia rationale) ſenſui vero malum videtur, erit ſtatus in tuto, ſenſus in vitio, ſtatu optima res pudicitia, et veritas, et iuſtitia, quae a multorum ſenſu diſplicent, numquid ideo ſtatus ſenſui addicitur, ita et perſecutio ſtatu bona eſt, quia diuina et rationalis diſpoſitio, id eſt, ſenſui, eorum vero, quorum malo venit, diſplicet.* Et ideo Vignerius lib. de lege humana v. 8. ſtatum ita definiuit: *Status in moralibus eſt quaedam diſpoſitio, per quam homo diſponitur ſecundum modum ſuae naturae cum quadam immobilitate, et quiete.* Quo ſane alludere videtur idem Tertull. lib. de carne Chriſti, cum ait Deum habere ſtatum, a quo dimoueri non poſſit: *Periculum enim, ait, ſtatus ſui Deo nullum eſt.* Et Arnobius lib. 3. aduerſus gentes, cum ait religionem Chriſtianam ſtare, ſeu ſtatum habere ſine vllis aſſertoribus: *Neque enim ſtare ſine aſſertoribus non poteſt religio Chriſtiana, aut eo eſſe comprobabitur vera, ſi adſtipulatores habuerit plurimos.*

CAPVT VIII.

Ecclesia habet iam dictum triplicem statum.

Iam vero status aliquis reperitur in Ecclesia, isque perpetuus, vt dicebamus de statu Dei, et statu religionis nostrae, quod innuere videtur Iustinianus in lib. 4. Cod. de summa Trinit. *Vnitatem*, inquit, *vestrae Apostolicae sedis et statum cunctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, et inconmote permanet nulla intercedente contrarietate.* Isque etiam triplex; est enim Ecclesia libera, ciuis coeli, et filia Dei.

Primo, ergo libera est ecclesia, nec vllus ei dominatur, vt patet ex Isidoro Pelusiota lib. 1. ep. 311. *Ecclesia*, ait, *firmo loco defixa, eamque caussam habet, vt ipsi ne inferi quidem portae dominentur, quemadmodum is, qui eam constabiliuit, pollicitus est.* Et Paschalis Papa apud Suggerium ait: *Ecclesiam pretioso sanguine Jesu Christi redemptam et liberam constitutam.* Et licet plurimum in hoc mundo vexetur, saltem in coelo manet inconcussa, vt recte D. Paulus, et ex eo D. Bernard. sermone 6. de ascensione Domini: *Quae sursum est*, inquit, *Hierusalem libera est, quae est mater nostra.* Et Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 109. vbi ostendit illud sumptum esse ex D. Paulo: *Quae enim sursum est Hierusalem*, inquit diuus Paulus, *libera est, quae est mater nostra.*

Secundo, est ciuis coeli seu supernae Hierusalem, imo ciuitas ipsa Dei viui, ut patet ex Greg. Naz. orat. 11. et 18. vbi dicit: *Vnam nobis patriam esse, nempe Hierusalem illam, quae mente percipitur, non eas, quas hic angustis finibus conscriptas videmus.* Et confirmatur ex Gilberto in cantica canticorum serm. 9. *Sursum est Hierusalem coelestis, quae est mater omnium nostrum.* Et D. Bernardo super cantica serm. 27. et homil. 3. super verba missus est, et ex D. Augustino, Oecumenio et aliis.

Tertio, Ecclesia est filia Dei, quod probat Iustinus martyr, dialogo cum Triphone Judaeo his verbis prophetae: *Audi filia, et vide.* Et Diu. Basilius in psal. homilia in psal. 44. et ideo dicitur Ecclesia Dei a Greg. Nazianz. oratione vigesima prima, et Euseb. lib. de demonst. euangelica: *Participat enim de Deo plurima, vt supra pluribus ostendi.*

C A P V T IX.

Praeter illa tria, pertinere etiam quodammodo ad ſtatum Eccleſiae, quod ſit ſponſa Chriſti et mater Chriſtianorum.

Etiamſi iure ciuili eſſe ſponſam, vel eſſe matrem non proprie pertineat ad ſtatum perſonarum, nihilominus tamen plurimum facit ad dignitatem alicuius perſonae, ipſam eſſe ſponſam alterius, qui ſtatum, vel caput habet perfectiſſimum, vt eſt Eccleſia ſponſa Chriſti, et mater Chriſtianorum. Ea ſponſa Chriſti dicitur ab Iſidoro Peluſiota lib. 3. ep. 394 ſupracitata, et a D. Chryſoſtomo ſerm. poſt reditum ab exilio. Et a Clem. Alex lib. 3. ſtromat. vbi dicitur, nulli alii praeter Chriſtum nubere. *Eccleſia*, inquit, *alii non iungitur matrimonio, ſponſum poſſidens Chriſtum.* Et a multis aliis: idque merito, nam ſicut vxor coruſcat radiis meriti, ita et Eccleſia eſt veluti luna, quae illuſtratur, et illuminatur a Chriſto ſole ſuo, vt recte Origenes in num. cap. 28. homil. 23. *Diximus*, ait, *quod Neomeniae feſtiuitas appellatur, cum luna innouari coeperit, et ſoli proxima fuerit, penituſque coniuncta: ſol iuſtitiae Chriſtus eſt, huic ſi luna, id eſt, Eccleſia ſua, quae lumine ipſius repletur, iuncta fuerit, et penitus ei adhaeſerit, ita vt ſecundum verbum Apoſtoli, qui ſe iungit Domino, vnus cum eo Spiritus fiat, tunc feſtiuitatem Neomeniae agit.* Item ſicut ſponſa venit in ſocietatem bonorum, et malorum mariti ſui, ita et Eccleſia bibit eundem perſecutionis et martyrii calicem, quem Chriſtus ſponſus illius primum hauſit, vt teſtatur Clem. Alex. lib. 4. ſtrom. quod et ad ſtatum eius pertinere, Tertul. ait. lib. de praeſcriptionib. c. 20. *Statu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt.*

Sponſa autem facta eſt, ſeu Sacramentum illud inter Chriſtum et Eccleſiam inchoatum fuit, quando Chriſtus humanitatem carnis aſſumpſit, vt dicit D. Hieron. in pſalm. 29. deinde vero illud Sacrum conſummatum in cruce, vt recte D. Auguſtin. in pſalm. 127. loco ſupra citato, tunc enim proprie Eccleſia facta eſt vna caro cum Chriſto, vt dicit D. Hieronym. in ep. ad Epheſios cap. 5. his verbis: *De Chriſto et Eccleſia omnis credentium multitudo generata eſt, quae vnum Eccleſiae corpus effecta rurſum in latere Chriſti ponitur, et coſtae locum replet, et vnum viri corpus efficitur.*

Eſt etiam Eccleſia mater, vt patet ex D. Cypr. lib. de vnitate Eccleſiae: *Vna, ait, eſt mater foecunditatis ſucceſſibus copioſa, illius foetu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu eius animamur, haec nos Deo ſeruat, haec filios regno, quos generauit, aſſignat, quisquis ab Eccleſia ſegregatus adulterae iungitur, a promiſſis Eccleſiae ſeparatur, habere iam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habeat matrem.* Et a D. Auguſt. lib. de moribus Eccleſiae catholicae: *Merito*, ait, *Eccleſia catholica mater Chriſtianorum veriſſima.*

Illa vero nos concipere dicitur per verbum Dei et catechesin ante Baptismum, teste D. Aug. lib. 2 de symbolo ad catechumenos cap. 1. *Ante Baptismum*, ait, *quicunque Christum credentes concepti quidem sunt in vtero sanctae matris Ecclesiae per signum crucis.* Per Baptismum autem dicitur parere ex eodem D. August. lib. 1. cap. 15. de Baptismo. *Ecclesia*, ait, *omnes per Baptismum parit sine apud se, id est, ex vtero suo, siue extra se de semine viri sui, siue de se, siue de ancilla, nam nec Ismael magis Sarae filius fuit quam Agar, quia per ipsius iura coniugalia, et in ancilla minatus erat, et ex ancilla susceptus, sic et apud istos Ecclesiae iure, quod est in Baptismo, nascuntur, quicunque nascuntur.* Quo exemplo probat Baptismum haereticorum valere, et per illum haereticos generari ab Ecclesia, licet non ex vtero Ecclesiae; sicut legitimus filius natus est ex Abrahamo, licet ex Sara coniuge, sed ex ancilla Agar, quo vtitur etiam in tractatu 12. in Ioannem. *Ancillae*, ait, *vterus accommodatus est, et Sarae voluntas*, ideoque idem D. Aug. enarrat, in psalmum 57. exponens illud Pauli ad Galatas: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*: monet eos qui sunt baptizandi, ne vt abortiui baptizentur ante tempus: *Expecta, ait, formari, noli tibi tribuere iudicium, quod forte non nosti, carnalis es adbuc, conceptus es, eo ipso, quo accepisti nomen Christi, Sacramento quodam natus es, in visceribus matris, bonum est, vt formatus exeas, ne abortiuus exeas, generet te mater, non abortiat, si patiens fueris, vsquequo formeris, vsquequo in te cuncta sit doctrina veritatis, contineant te debent materna viscera, si autem impatientia tua concusseris latera matris tuae, cum dolore quidem te excutit foras, sed magis tuo malo, quam suo.*

Nos autem cum parit Ecclesia, parit, et generat filios Dei, et haeredes Christi, vt recte diuus August. tract. 12. in Ioannem: *Si propter haereditatem patris hominis temporalem nascitur ex visceribus matris carnalis, propter haereditatem patris Dei sempiternam nascuntur de visceribus Ecclesiae; generat enim Deus de Ecclesia filios.*

Et inter miracula est Ecclesiae, quod nos, cum simus filii Ecclesiae, sumus etiam ipsa Ecclesia, vt recte obseruauit D. August. quaest. Euangel. lib. 1. q. 18. *Quod enim*, ait, *rogante centurione, et Chananea muliere filii ipsorum sanantur, intelligenda est Ecclesiae persona, quae sibi est mater et filia; nam simul omnium, quibus constat Ecclesia, mater dicitur, singuli autem iidem ipsi filii appellantur.* Et in enarrat. in psalmum 127. *In carnalibus*, ait, *nuptiis alia vxor, et alii filii, in Ecclesia, quae vxor ipsi quoque et filii sunt; ad Ecclesiam, enim pertinebant Apostoli, et in membris Ecclesiae erant, ergo in coniuge ipsius Christi erant, et tamen ipsa coniux erant, secundum portionem suam, quam in membris obtinebant.*

CAPVT X.

Aliter etiam posse statum Ecclesiae considerari ratione regiminis.

Potest etiam status Ecclesiae considerari ratione diuersi regiminis, potestatis sacerdotii, quam Deus in Ecclesia constituit, quomodo dicimus statum regni vel reipublicae pro politica eius administratione, vt, cum Florus lib. 1. historiae cap. 9. dixit *mutatum statum sub consulibus*. Et Cicero ad Atticum: *Fixum fundatum reipublicae statum*, et sic de aliis.

Status autem Ecclesiae eo modo consideratus triplex assignandus et constituendus esse videtur, primus quo a Christo missi sunt Apostoli, simul vna cum Petro, vt indistincte et communiter Ecclesiam regerent, sub Christo solo capite, Petro nondum constituto capite Ecclesiae visibili, licet esset destinatus in caput illius, & iam designatus, qui status Ecclesiae non diu durauit, Petro paulo post creato in caput Ecclesiae. Et tunc Apostoli atque Petrus ipse, non erant nisi ministri et coadiutores Christi, et inter se aequales cooperatores, & coepiscopi.

Secundus est, quo D. Petrus est constitutus caput aliorum Apostolorum, et totius Ecclesiae, datis ei clauibus, et mandato accepto a Christo, vt gregem illius pasceret, atque custodiret, et tunc alii Apostoli missionem suam exercere coeperunt in eo statu sub Petro visibili capite Ecclesiae, et sub Christo simul, qui eam ante exercebant sub solo Christi et Petri coadiutores, non aequales, vt ante in primo statu, sed sub eo capite tanquam membra positi, et sine titulo proprio, titulo Petri sub eo administrantes.

Tertius status est, quo sortitione facta prouinciarum in determinatis locis Apostoli constituti sunt Episcopi, cum titulo proprio, et titulus Petri, qui erat vnicus, in varios titulos fuit diuisus, et quemadmodum Christus Ecclesiam Apostolorum ad vnum Petrum deduxerat in 2. statu, ita et de vno Petro seu Ecclesia Petri plures Ecclesias deduxit, sine vlla imperfectione, aut diminutione, vt dicimus *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, et corpus de corpore in Eucharistia. Nam sicut in Christo secundum hypostasim aliud ad aliud coniungitur, nempe natura diuina ad naturam humanam, et tamen non fit Christus alius et alius, ita Ecclesia non est alia et alia, licet sit alius et alius Episcopus, vt recte Nicephorus dicebat ad Leonem Papam: et hi tres status distincti sunt, nam in primo omnes Apostoli fuerunt aequales Christi coadiutores et Episcopi sine Episcopatu, etiam Petrus, Christo solo Ecclesiae pontificatum tenente. In 2. statu Apostoli non fuerunt aequales Petro, sed Petrus constitutus supra eos, et solus tenuit pontificatum Christi, ipsique Apostoli fuerunt quidem Apostoli, fuerunt quidem Episcopi, vt erant antea, sed sine Episcopatu et in Episcopatu Petri, eius coadiutores ac ministri, et ita sub Christo et Petro capite. In 3. statu

Apostoli coeperunt habere Episcopatum in titulum, sicuti Petrus distinctum a titulo Petri, ita tamen, vt eam regerent sub Petro, vt ante, et licet Christus dederit potestatem illam Apostolis, cum eos ordinauit, seu consecrauit Episcopos, et per eam eos constituerit aequales, tamen postea et quodammodo derogauit alium statum eius constituendo, ex quo colligitur dedisse eis eam potestatem, vt scilicet eam varie exercerent, prout scilicet varius esset Ecclesiae status, nunc inordinate in primo statu, et ex aequo sine Episcopatu Episcopi sub Christo solo Episcopo, nunc ordinatius in secundo statu, Episcopi etiam sine Episcopatu sub Christo Episcopo inuisibili, et Petro visibili. Denique ordinatissime, assignato vnicuique suo Episcopatu, ita, vt formas has regiminis diuersas habuerit Ecclesia, vel Christo ita instituente, qui constituit primum et secundum statum, et fundamentum dedit etiam tertio statui, vel Spiritu Sancto, qui hunc tertium statum dedit Ecclesiae. Nec mirum, vt postea docebitur, ita inordinatam fuisse aliquo tempore Ecclesiam; nam vt recte D. Bernardus Ep. 276. ad Papam Eugenium: *Ordinatissimum aliquando est minus interdum aliquid ordinate fieri* Et ideo satius fuit, Ecclesiam nascentem fuisse aliquo tempore communem omnibus Apostolis, posteaque fuisse proprias cuiusque atque distinctas Ecclesias modo infra dicendo. Ex quibus sequitur, Apostolos ante diuisionem velut in communi, et pro indiuiso Ecclesiam administrasse, tanquam curiones Christi sub Christo, postea sub Petro etiam, vel tanquam curiones, vel tanquam Episcopos, vel tanquam Patriarchas, vel tanquam Metropolitanos, et tanquam curiones sub Petro Episcopo, tanquam Episcopos sub Petro Metropolitanos, tanquam Metropolitanos sub Petro Patriarcha, tanquam Patriarchas sub Petro summo Pastore, et per Petrum ita vnitos Christo, vt ait Dionysius Areop. vt nos postea dicemus.

CAPVT XI.

Quomodo se gesserit Christus in iis tribus statibus et regiminibus Ecclesiae constituendis.

Certe, cum Christus primus rexerit Ecclesiam eamque regendam reliquerit Apostolis suis, non aliter sciri poterit, quam potestatem habeant Apostoli, quam, si intelligamus, quam eis dederit Deus, et quomodo, quod in hoc capite obseruandum veniet, vnde quoque nostrae doctrinae fundamentum erit postea definiendum.

Primo ergo Christus assumpsit naturam humanam, in qua assumptione posuit primordium aedificationis Ecclesiae suae sanctae, vt ante probauimus.

Secundo, assumpsit sibi discipulos plures, eosque elegit, ac vocauit, vt voluit; sicuti loquitur Diu. Lucas cap. 6. vers. 13. non quidem omnes simul, sed veluti primo Andream, qui erat Ioan-

annis Baptiſtae diſcipulus, Ioan. 1. verſ. 35. Et ideo Diu. Andreas in bibliotheca Photii dicitur ab Heſychio presbytero Hieroſolymitano: *Primus Apoſtolorum foetus, prima Eccleſiae columna, ante Petrum petra, fundamenti fundamentum, initii primitiae, vocans, antequam vocaretur, adducens, antequam adduceretur. &c.* Nam D. Andreas adduxit poſtridie Simonem fratrem ad Ieſum, Ioan. 1. v. 41. proximaque die Ieſus iter faciens in Gallilaeam vocauit Philippum, Ioan. 1. verſ. 45. Et ita de aliis.

Tertio, aliquo tempore poſt Chriſtus conuocatis omnibus diſcipulis ſuis, quos habebat, elegit ex ipſis omnibus 12. quos et Apoſtolos nominauit, Lucae 6. verſ. 13. Idque oratione facta, vt habetur loco citato, et confirmat Theophylactus, Lucae 6. *Poſt orationem*, ait, *elegit Chriſtus diſcipulos, vt doceat etiam nos, quando quempiam in ſpirituale miniſterium ſumus electuri, cum precibus hoc faciamus, vt docti a Deo, & ab illo petentibus reueletur, quis idoneus ſit.* Elegit vero Chriſtus ex diſcipulis ſuis Apoſtolos, ſicut elegerat ex hominibus diſcipulos ipſos.

Quarto, Chriſtus dedit Apoſtolis ita electis poteſtatem multorum chariſmatum, videlicet, vt eiicerent ſpiritus immundos, curarent omnem languorem et omnem infirmitatem, mortuos ſuſcitarent, leproſos mundarent, daemones eiicerent, et caetera, quae habentur, Matth. cap. 10. v. 1. et ſequentibus. Prius autem dedit Chriſtus hanc poteſtatem Apoſtolis ſuis, quam eis daret poteſtatem ſpiritualem, idque ita fecit, vt per miracula redderet attentos populos ad fidem ſpiritualium rerum, quod ipſemet Chriſtus innuit Matth. 10. verſ. 8. dicens: *Euntes praedicate, dicentes, quia appropinquat regnum coelorum, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, daemones eiicite.* Et ideo D. Auguſt. lib. 22. de ciuitate Dei cap. 30. ait, miracula fuiſſe neceſſaria, vt mundus crederet. Et Chriſtus ipſe oſtendit Matth. 9. *Vt ſciatis*, ait, *quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc*, ait, *Paralytico, ſurge. tolle lectulum, & vade in domum tuam.* Hinc enim voluit ſignificare per cognitionem poteſtatis miraculorum deueniri poſſe ad cognitionem dimittendi peccata.

Quinto, cum Chriſtus videret ad praedicta miracula facienda non ſufficere 12. Apoſtolos, et meſſem eſſe multam, ac operarios paucos, nempe 12. tantum Apoſtolos, quos ad illud opus iam deſtinauerat, deſignauit poſtea ex omnibus diſcipulis ſuis alios 72, quibus dedit eandem poteſtatem miracula faciendi, Luc. 10. v. 1. De qua re mirabantur, cum antea vidiſſent illam poteſtatem fuiſſe tantum penes Apoſtolos.

Sexto, poſt datam ſupra dictam poteſtatem aliam maiorem pollicitus eſt Apoſtolis, quam tamen nondum eis dedit, et primum ſoli Petro promiſit poteſtatem omnem in Eccleſia, dicens ei: *Tu es Petrus, et ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam, et portae inferi non praeualebunt aduerſus eam, et tibi dabo claues regni coelorum, et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum et in coelis.* Matth. cap. 16. v. 18. et 19. Quae promiſſio poteſtatis ſpiritualis eſt valde ampla, et facta ſoli Petro, prius-

quam aliquid Christus promisisset aliis Apostolis. Quod est notandum.

Septimo, promisit etiam postea aliis omnibus Apostolis potestatem dimittendi peccata. Matth. cap. 18. v. 18. *Amen, amen dico vobis, quaecunque alligaueritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecunque solueritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Quae promissio longe strictior est, quam promissio facta D. Petro, vt patet ex verbis earum promissionum; nec enim in ista promittuntur eis dandae claues regni coelorum, aut etiam vt sint futuri petra, super quam aedificaturus sit Christus Ecclesiam suam. Porro, licet Christus has promissiones fecisset Petro, et aliis Apostolis, non impleuit tamen suam promissionem vitae suae tempore, sed tantum post resurrectionem, vt postea dicemus.

Octauo, Christus antequam moreretur, dedit omnibus 12. Apostolis simul potestatem conficiendi corporis sui in vltima coena; et ideo antequam daret ei potestatem ligandi et soluendi; et ratio est 1. quia Christus nondum Ecclesiam suam sanctificauerat sanguine suo, aut adoptauerat amore, deinde quia oportebat Christum dare prius Apostolis potestatem in suum verum corpus per sacerdotium, quam in mysticum, quod est Ecclesia, cum omnes ordines clericorum accipiant suam perfectionem et finem a corpore Christi, vt ait Dionys. Areop. lib. de Ecclesia. hierar. cap. 6. quae duo hodie Ecclesia non separat, quia non habet causam separandi, vti Christus.

Nono, Christus post resurrectionem promissiones suas voluit implere, et praestare, quod promiserat tum Petro soli, tum Petro cum aliis Apostolis; et licet prius suam promissionem fecisset Petro, quam aliis Apostolis, tamen prius praestitit id, quod promiserat Apostolis, vna cum Petro coniunctis, quam id, quod promiserat soli Petro, quod habet suam rationem, vt dicemus postea. Dedit ergo Apostolis omnibus vna cum Petro potestatem, quam eis promiserat, eaque talis, vt est data, enunciatur. Ioan. 20. vers. 22. his verbis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, haec cum dixisset, insufflauit, et dixit eis, accipite Spiritum Sanctum. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* In quibus verbis supplendum ex Matth. 18. et Marci 16. quod addidit Christus: *Euntes in vniversum mundum;* item: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Et hoc quidem fecit in vna ex suis apparitionibus. Et notandum Christum tunc dedisse etiam Petro partem eorum, quae ei promiserat, nempe eam partem, quam communem habere debebat cum aliis Apostolis, scilicet potestatem dimittendi peccata, et retinendi, non autem omnia, quae promiserat; pollicitus enim erat ei futurum, vt esset petra, super quam aedificaretur Ecclesia; item vt acciperet claues regni coelorum; quod separat Christus tanquam proprium Petri, illud ei postea concessurus.

Postea ergo in alia posteriore apparitione dedit reliquum Petro, quod ei promiserat, dicendo ei: *Pasce oues meas,* Ioan. c. 20. Quae verba, cum non vsus sit Christus vllis aliis, ea omnia significant, vt habeat claues Ecclesiae, et sit petra, supra quam Christus aedificet Ecclesiam suam: ex quibus patet,

tum promiſſionem, tum conceſſionem poteſtatis factam Petro, et aliis Apoſtolis fuiſſe diuerſam, et diuerſis verbis, et temporibus factam.

CAPVT XII.

Ex eo, quod Chriſtus ſeparatim illa promiſerit et dederit, multas oriri difficultates.

Ex antedictis multae ſequuntur difficultates, quae a nobis ſingulatim erunt expendendae. Et ſpero me effecturum, vt planum fiat, quis fuerit ſtatus Eccleſiae tempore Apoſtolorum, quod nullus antea demonſtrauit.

Ergo videndum erit, quae ſit illa poteſtas, quae data eſt Apoſtolis ſimul congregatis, quando ordinati ſunt a Chriſto in Epiſcopos; an aequalis in omnibus Apoſtolis, et ſine capite, vel principe, an ſine iurisdictione. Item an Apoſtoli per eam conſecrati ſint Epiſcopi a Chriſto ſine Epiſcopatu, et ab eo facti tantum miniſtri et coadiutores. An, et cur ita regi debuerit aliquo tempore Eccleſia, et an vna tunc fuerit?

Deinde vero videndum etiam erit, an poteſtas data Petro ſeparatim, quae eſt tantum iurisdictionis, ſit diſtincta a poteſtate data ipſimet cum aliis Apoſtolis? item an ſit propria Petri, an etiam communicabilis aliis Apoſtolis, et an per illam coeperint alii Apoſtoli eſſe eius coadiutores, et nouum ſtatum habuerit Eccleſia? item an Petrus fuerit primus Epiſcopus cum Epiſcopatus titulo, et quomodo coeperint alii Apoſtoli habere Epiſcopatum, et cur facta diuiſio Epiſcopatuum?

CAPVT XIII.

Oſtenditur poteſtatem datam Apoſtolis, ſimul conſtitutis fuiſſe aequalem, indiuiduam, indiſtinctam et in ſolidum, et cum iurisdictione, per eam Apoſtolos fuiſſe Epiſcopos ſine Epiſcopatu, et ſub Chriſto capite, eiusque miniſtros, qui eſt primus Eccleſiae ſtatus.

Non eſt dubitandum, quin poteſtas dimittendi peccata Apoſtolis conceſſa, ſit omnium maxima; quae coniungitur a D. Chryſoſtomo l. 3. de Sacerdotio, cum poteſtate conficiendi corporis Chriſti, quaſi nihilo ea inferiora praeſtet. Et dicitur ab eodem illo loco, *Principatus, ſine quo neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus.* Et dicitur ad D. Cyprian. ep. 55. *ſublimis ac Diuina poteſtas.* Et laudatur ſupra omnem poteſtatem ab Iſidoro Peluſiota lib. 2. epiſt. 5. quod agnouit etiam ipſe Simon magus in act. Apoſt. c. 8 dicens;

Date mihi hanc potestatem, *etc.* Vnde etiam episcopatus seu pontificatus dicitur a Dionysio Areopagita: *Ordo perficiente vi praeditus.*

Eam vero potestatem datam fuisse communiter in solidum omnibus Apostolis et indiuidue cum iurisdictione videtur, ita vt esset tota in toto, et tota in quolibet, et posset tunc quilibet eorum ex aequo peccata dimittere, praedicare, baptizare in Episcopatu Christi, tanquam minister eius, et sub eo tantum capite, Petro nondum substituto, et sic Apostoli essent sibi inuicem cooperatores, nullus tamen eorum haberet Ecclesiam propriam, aut iurisdictionem separatam, sed tanquam in re communi indiuidua in solidum omnes laborarent, et exercerent potestatem illam sibi datam initio ordinationis suae sub Christo capite solo, qui fuit primus status Ecclesiae; sine Episcopatu proprio, donec Episcopatum acquirerent martyrio, sicut Christus Ecclesiam sibi morte comparauerat: et donec sortitione orbis fierent distinctiones sedium episcopalium. Illud vero probatur ex D. Ambrosio in epist. ad Ephesios cap. 4. his verbis: *Postquam omnibus locis Ecclesiae sunt constitutae et officia ordinata, aliter composita res est, quam coeperat, primum enim omnes docebant, et omnes baptizabant, quibuscunque diebus vel temporibus fuisset occasio: vt ergo cresceret plebs, et multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est euangelizare, et baptizare, et Scripturas in Ecclesia explanare*; *at vbi autem omnia loca complexa est Ecclesia, conuenticula constituta sunt, et rectores, et caetera officia in Ecclesiis sunt ordinata, vt nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, praesumere officium, quod sciret non sibi creditum vel concessum, hinc ergo est; vnde nunc neque diaconi in populo praedicant; neque clerici vel laici baptizant, neque quocunque die credentes tinguntur, nisi aegri.* Et ex D. Hieronymo in ep. ad Titum cap. 1. vbi dicit, Apostolos in commune antea initio rexisse Ecclesiam. *Antequam*, ait: *diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae, communi presbyterorum concilio Ecclesiae gubernabantur:* quae fuit etiam sententia D. Chrysostomi homil. 55. in Matth. cap. 16. *Cum*, ait, *eurum vniuersi orbis omnibus Apostolis in commune esse traditam, sed sub vno capite, sub vno pastore, nimirum Christo.* Quare Epiphanius in anacephalaeosi dicit: Apostolos fecisse inter se, μίαν πνευματικὴν ὑπόςασιν, id est, vnam spiritualem subsistentiam, quatenus scilicet quilibet eorum in solidum et in commune potestatem suam in Ecclesia exercebant. Et Irenaeus libro aduers. haereses cap. 1. de Apostolis ita loquitur: *Omnes*, ait, *pariter et singuli eorum habuerunt Euangelium.* Et D. August. tract. 17. cap. 17. *Erant vnum natura sicut Trinitas.* Et D. Ignatius vocat Episcopatum: *Ministerium ad commune pertinentes*, τὴν διακονίαν τὸν εἰς τὸ κοινὸν ἀνήκουσαν. Et D. Chrysost. lib. 6. de sacerdotio vocat ipsum: *Episcopum sacerdotem pro vniuerso terrarum orbe legatum omnium patrem.* Et homilia 6. ad Timoth. Atque eo sane referenda sunt ea, quae habet Paulus ep. 1. ad Corinthios cap. 1. de quibusdam dicentibus: ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi, quos reprehendit cap. 3. his verbis: *Cum enim quis dicat, ego quidem sum Pauli, alius autem Apollo, nonne homines estis, quid igitur est Apol-*

lo? quid vero Paulus, ministri eius, cui credidistis, et vnicuique sicut dominus dedit, ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Ex quo loco patet propter illam communitatem fidelium ab Apostolis conuersorum accidisse, ut vnus se esse Cephae diceret, alter Pauli: colligitur etiam Cepham et Paulum fuisse tantum ministros Christi, vt ibi dicitur. Et confirmatur ex diu. Ambr. in eandem ep. 1. ad Corinth. cap. 4. ad ea verba Dei enim sumus operis adiutores: *Haec*, inquit, *ad Apostolorum personam pertinet, quos constat Dei esse adiutores, quia vicarii sunt Christi.* Colligitur 3. ius praeuentionis habuisse locum inter Apostolos, propter quod ius praeuentionis fiebat, vt alii dicerent ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae. Sed et id apertius probatur ex eod. D. Paulo ep. ad Romanos, vbi se praeuentum esse alicubi ipsemet fatetur: *Ita annitens*, ait, *Euangelium annunciare, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem, sed sicut scriptum est, quibus non est annunciatum, de eo videbunt, et qui non audierunt, intelligent, quapropter etiam impediebar frequenter, quo minus venirem ad vos.* Fatetur enim ibi D. Paulus se non potuisse ibi praedicare verbum Dei, vbi alii praedicauerant: idemque ep. 1. ad Cor. c. 3. dicit e contrario se alicubi praeuenisse alios in fundamento fidei ponendo, aliosque post ipsum superaedificare: *Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superaedificat.* Nec praeuentio illa caret ratione iuris ciuilis; iure enim ciuili pluribus simul factis procuratoribus ad actionem vnam in solidum, praeuentio vnius caeteros excludit l. 32. de procuratoribus. Mandatum enim habebant omnes Apostoli simul ad fidem praedicandam, et Ecclesiam constituendam in commune, donec essent determinatae Ecclesiae, et vnusquisque in sua sede illam potestatem exerceret; et sicut in mundi creatione prius lucem creauit Deus, quam solem, aut alia sydera, ita similiter Christus prius Episcopalem dignitatem atque potestatem instituit in Apostolis, qui erant lux mundi, quam eam in Episcopatus certos distinxisset, et in suis sedibus tanquam sydera in coelo collocasset, qui fuit status, vt dixi, primus Ecclesiae: nec mirum videri potest alicui, Apostolos ita visos tunc fuisse sua potestate, et aliter postea, cum essent suam peculiarem Ecclesiam sortiti. Nam vt recte Greg. Nazianz. orat. 29. *Republica hoc aut illo modo se habente, singulos etiam eodem modo affici necesse est.* Is autem tunc erat status Ecclesiae, vt vnus esset Christus Pontifex suae Ecclesiae et caput, omnesque Apostoli, etiam Petrus, essent ministri, coadiutores, cooperatores, coepiscopi Ecclesiae Christi.

Atque ex his manifestum fit, Apostolos initio fuisse equidem Episcopos, vt patet ex Gotfrido, tractatu de ordinat. sed sine Episcopatu proprio, in Episcopatu, vel Archiepiscopatu Christi: quod sane confirmatur ex epistola D. Gregorii ad Bonifacium: vbi dicit se ordinasse eum Episcopum sine throno, ac sede, eumque misisse in Germaniam ad acquirendum Episcopatum per conuersionem Germanorum, idque exemplo Apostolorum, qui ita ordinati sunt a Christo: *Tum*, ait, *reuerendam fraternitatem ad imitationem Apostolorum, qui Do-*

mino iubente praecepti sunt euntes praedicare Euangelium, in partibus Hesperiarum ad illuminationem Germaniae gentis, in vmbra mortis sedentis, dirigere statuimus, etc. Et ex epistola D. Chrysostomi 14. ad Olympiadem: vbi dicit se eodem modo creasse Episcopum Vnilam, virum admirandum, et in Gothiam ad adquirendum Episcopatum misisse. Et videtur D. Paulus in eo semper statu mansisse; vt, licet alii Apostoli distributis terrarum regionibus, proprias obtinerent cathedras, ipse nullam specialiter retinuerit; institutione et similitudine etiam Christi, vt existimat Petrus Damiani lib. 2. ep. 16. Et sane non aliunde manauit ille mos in Ecclesia creandi Episcopos sine Episcopatu, nam plures tales consecrati sunt, vt Barses et Eulogius teste Nicephoro lib. 11. hist. eccles. c. 4. *Extitere*, ait, *Barses et Eulogius, qui ambo post longum monastici exercitii certamen Episcopi sunt facti, non in vrbe aliqua, sed honoris gratia in monasteriis suis Episcopalem consecuti sunt consecrationem.* Et Paulinus etiam, qui ep. ad Seuerum Sulpitium de semetipso dicit, ibi sibi profuisse, ordinatum esse, et nulli Ecclesiae alligatum, verba sunt: *Nam ea conditione in Barcinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, vt ipsi Ecclesiae non alliger, in sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Ecclesiae dedicatus.* Et ep. ad B. Augustinum, quae est inter Augustinianas 355. vbi ita loquitur de B Ambrosio: *Suo*, ait, *me clero vendicare voluit, vt etsi diuersis locis degam, ipsius presbyter censear.* Et legimus in Concilio Matisconensi 2. *Episcopos sedem non habentes subscripsisse.* Verum id postea prohibitum est, et definitum a Concilio Chalcedonensi, ne ordinationes fierent, nisi specialiter assignaretur Ecclesia. Et in Leonis ep. 92. ad Rusticum Narbonensem cap. 1. dicitur: *Quod vana habenda est ordinatio, quae nec loco fundata est, nec authoritate munita.* Et in constitutionibus Apostolicis lib. 8. cap. 1. dicitur, quod Episcopi et Presbyteri aliquorum sunt sacerdotes, et laici aliquorum laici. Atque id factum est propter multos Pseudo-Episcopos, vt dicitur in eadem Leonis epistola, qui se dicebant ordinatos, cum non essent. nam cum ordinatio fit in sede aliqua, non potest esse ignota ordinatio; vt colligitur dicta epistola Leonis.

Deinde, quia Episcopi ordinati sine sede, nullius Episcopi possunt dici, vt dicitur eadem ep. 92. sunt enim vagantes, nec sine alterius Episcopi venia possunt vllam administrationem facere; ut patet ex Concilio Viennensi c. 13. sed non tales fuerunt Apostoli, in Episcopatu Christi constituti cum iurisdictione, quod colligitur ex illis verbis ordinationis suae, cum dixit Christus: sicut misit me pater, et ego mitto vos, in quibus inest etiam hoc mysterium, vt quemadmodum Christus per mortem acquisivit hanc potestatem, ita et illi Ecclesias suas martyrio fundarent, quod postea ostendemus.

CAPVT XIV.

Rationes plures aperiuntur, propter quas Christus voluit Ecclesiam suam aliquo tempore esse in eo statu.

Rationes vero multae sunt, propter quas Christus voluit Ecclesiam suam aliquo tempore esse in eo statu, sine ullo alio capite praeter seipsum, et par esset potestas ac munus Apostolorum inter se.

Ratio prima est, quia jam Christus initio indistincte coniunxerat Apostolos cum discipulis in ministerio, Matth. 9. et Lucae 10. Item Apostolos coniunxerat in mysterio Eucharistiae. Ideoque oportuit eos initio etiam simul operari saluti populi inter primordia Ecclesiae, nec non aequum etiam fuit, Ecclesiam post omnia Sacramenta in ea instituta fuisse aliquo tempore sub Christo solo capite, vt ita in eo omnes vnum fierent immediate, iuxta illud Ioan. 17. *Vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, et ego in te, vt ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti.* Quia, ut ait Nicephorus Constantinopolitanus ad Leonem Papam: *In Ecclesia Dei non est prius et posterius, sicut nec Iudaeus, nec Graecus, nec barbarus, nec seruus, nec liber, sed omnes in Christo vnum sumus*, licet aliter vtatur illa ratione.

Secunda ratio est, quia necessarium fuit, ut statim atque sanguis Christi effusus esset pro redemptione hominum, quasi tempore plenariae indulgentiae, omnes Apostoli possent illum per Sacramenta applicare fidelibus, nec tam attenderetur ordo, quam gratiae necessitas, et festinaretur in salute hominibus procuranda, sicut festinanter manducandus erat agnus, vt dicitur a Gregor. Nazianz. orat. 42. Quomodo ipse Christus festinauit sanctitatem afferre homini, et tyrannum superare, et Deum ipsum ad nos reducere, nobisque reconciliare; quo fit, vt siue propter illam necessitatem salutis, siue ob plenitudinem redemptionis nostrae Ecclesiae status tunc requireret, vt non esset diuisio, sed vnio potestatis Apostolorum. Nam vt recte D. Bernardus serm. 2. in septuagesima: *Cessabit diuisio, cum venerit plenitudo, et erit totius sanctae ciuitatis participatio in id ipsum.* Et aperte testatur Hesychius lib. 7. in Leuit. tunc temporis non solum Apostolos, sed etiam discipulos, indistincte in Ecclesia suam potestatem in redemptione animarum exercuisse, verba sunt: *Non solis autem licuit Apostolis, hanc peragere redemptionem, sed et discipulis eorum.*

Tertia est, quia Deus voluit Ecclesiam suam hoc temporis momento esse ad instar Ecclesiae coelestis, seu primogenitorum, quae non habet, nec habebit, nisi Christum caput cessante sacerdotio hominum, et omnibus sacris reductis, in fine seculorum ad eum solum, vt recte Gregor. Nazianz. orat. 11. ostendit, describens Ecclesiam primogenitorum, seu Ecclesiam coelestem.

Nam, vt ait Clem. Alexandrinus lib. 6. stromat. *Hae quoque in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum sunt, vt arbitror, imitationes gloriae angelicae, et illius oeconomicae dispensationis, &c.* Et denique sicut Ecclesia incoepit sub Christo solo capite; ita et in coelo tandem non habebit nisi Christum caput.

Quarta est, quia oportuit Christum prius plures Episcopos instituere, et ita vnum ex iis assumere in principem aliorum, de quo diceretur, illud psalmi 44. *Vnxit te Deus prae consortibus suis.* Et sicut, cum Christus Apostolos eos fecit, neminem principem Apostolorum declarauit, cum Sacerdotes ordinauit, neminem fecit principem Sacerdotum, ita, cum fecit Episcopos, potuit neminem facere principem Episcoporum, maxime, cum principatus ille nihil habeat commune cum potestate characteris.

Quinta est, quia, vt ait D. Chrysostomus hom. 14. ad Corinth. 1. *In Apostolis nulla erat inuidia, sed unum spectabant, nempe Ecclesiae aedificationem, etsi minor erat, qui operabatur, omni studio ei opem ferebant, & confirmabant.* Ideoque nullum fuit periculum inde ex illa communione ministerii inter eos.

Sexta est, quia sicut ante legem Moysis licuit prouidentia propagandae successionis plures habere vxores, & filios etiam ex ancilla suscipere sine concupiscentiae voluptate: ita Apostolis charitate seminandae veritatis licuit passim prædicare, ut dicitur in can. 73. 2. q. 4.

Septima est, ideo datam fuisse in commune Ecclesiam, quia nondum facta erat diuisio Ecclesiarum.

Octava est, ut Spiritus Sancti dona statim ad plures extenderentur; ideoque Apostoli dicuntur primates gratiæ a Gelasio Papa I. *Ipsi*, ait, *vtique Apostoli, ipsi Ecclesiae principaliter et parentes, qui primordialiter Sancti Spiritus dona sumpserunt, quae Ecclesiis ministrarent spiritualiter incrementis, primitias Spiritus habentes, quasi primates gratiae Dei.*

Nona, vt D. Petrus postea summus constituendus, putaret non omnia facienda esse in Ecclesia ἀρχοντικῶς, sed de concilio caeterorum, quomodo diuus Chrysostomus ait Petrum, vbi agebatur de circumcisione nihil ἀρχοντικῶς egisse, sed de concilio caeterorum. Et ideo Michael Constantinus, patriarcha, dicebat in constitutione synodali, quam refert Basilius in can. 15. synod. Carthag. quaedam adhuc mansisse communia omnibus Episcopis non obstante diuisione Episcoporum.

Decima est, vt fieret manifestum Ecclesiae hierarchiam non futuram vno Episcopo contentam: nam, vt ait Zonaras in can. 14. synod. Carthag. *Vtile est Ecclesiae, hoc est, fidelibus Episcopos constitui vtilitate videlicet necessaria.*

Vndecima, quia prius oporuit esse gregem, quam pastorem, et prius subditos, quam Praelatum, maxime, cum Christus semper pascat, et regat Ecclesiam, sitque aeternus, et magnus Pontifex Dei, vt ait Clem. Alexandrin. admonitione ad gentes.

Duodecima est, quia Ecclesia fuit initio parua, ita, vt facile potuerit regi ab vno solo Episcopo, nempe diuo Petro.

CA-

CAPVT XV.

Ostenditur soli Petro datam postea fuisse aliam potestatem , et statum Ecclesiae mutatum , et Apostolos sub Christo , et Petro tunc ministrasse.

Iam vero , quod attinet ad illam potestatem , quae data est postea soli Petro nominatim, de ea multa sunt nobis dicenda, quae in summa hoc capite continebuntur , et sequentibus capitulis erunt nobis ostendenda. Dicimus igitur diuum Petrum specialiter assumtum fuisse a Christo, in consortium indiuiduae vnitatis , eique nouam iurisdictionis potestatem datam fuisse a Christo his verbis: *Pasce oves meas* , *pasce agnos meos*, in ipsos Apostolos, nec tamen Christum , cum dedit hanc potestatem Petro , abrogasse potestatem aliorum Apostolorum , sed ei tantum in eo derogasse , vt mutato aliquatenus statu Ecclesiae , Apostoli , qui regebant Ecclesiam indistincte, indiuidue , et in communi , sub Christo tantum capite , quasi eius ministri eam postea regerent, adhuc quidem etiam indistincte , et in communi propter necessitatem Ecclesiae, sed sub Christo, et sub Petro simul eius vicario et Ecclesiae rectore: ita vt Christus videatur tunc vltimam formam dedisse Ecclesiae , dando ei Episcopum et hierarcham , quae antea nullum habebat praepositum praeter Christum, et ita Christus reduxerit Ecclesiam ad vnum caput visibile, et fecerit eam alio modo vnam , quod ad eius perfectionem videbatur necessarium , vt esset inter Apostolos , qui Christum repraesentaret. Verum istam potestatem concessit Petro Christus, eumque ita pastorem fecit Ecclesiae , vt voluerit praefecturam eius esse communicabilem duobus modis, suis quidem successoribus in totum, aliis vero inferioribus in aliquo gradu inferiori, et ita alios Apostolos fieri etiam pastores alicuius Ecclesiae, sed interim exercere potestatem sibi a Christo iam datam indistincte, et communiter , vt ante , sub ipso tamen Petro , qui eam exercebat sub solo Christo , necessitate Ecclesiae aedificandae id requirente, vt omnes adhuc promiscue in ea laborarent, et aedificarent supra petram secundam, sicut aedificaverat supra primam petram , nempe Christum ; vnde factum est, vt Petrus fuerit primus Episcopus Ecclesiae perfectae , atque distinctae , primusque hierarcha a Christo Domino constitutus , denique primus , qui Ecclesiam habuit in titulum ; alii vero Apostoli imitatione formae Petri a Christo constitutae , titulum acceperint in Ecclesia Petri , et velut lumen de lumine , Ecclesiam de Ecclesia Petri fecerint , sine vlla tamen imperfectione , id est, non tanquam eius vicarii, sed tanquam veri Episcopi, post acquisitionem illius ab eis factam.

C A P V T XVI.

Probantur sigillatim singula, quae dicta sunt de potestate Petri capite superiori.

Dixi, Christum singulari modo assumsisse Petrum in vicarium, vt recte div. Leo ep. ad Episcopos Galliae prouinciae Viennensis. *Huius muneris*, ait, *Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet; vt exsortem se mysterii intelligeret esse diuini, qui ausus esset a Petri soliditate discedere: hunc enim in consortium indiuiduae vnitatis assumtum, id quod ipse erat, voluit nominare, dicendo: Tu es Petrus.*

Dixi, Christum dedisse Petro nouam potestatem iurisdictionis, nam Petrus iam acceperat cum aliis Apostolis potestatem ligandi, atque soluendi; iam vero dicitur ei: *Pasce oues meas*, quod non fuerat dictum antea; et sane patet, debuisse Christum transferre gregem suum, et oves suas facto aliquo aut verbis in Apostolos, vt patet ex regula Iuris. Et cum oues sint Christi, non fuerunt datae aliis Apostolis nisi soli Petro, alii enim Apostoli coadiutores tantum fuerunt et ministri Christi, non vicarii eius, eo scilicet modo, quo Petrus.

Dixi, potestatem illam fuisse datam Petro, his verbis: *Pasce oues meas, pasce agnos meos.* Et ita Patres Ecclesiae existimant. Nicolaus I. ep. ad Metropolitanos et Episcopos Constantinopolitanae sedi subiectos, D. Greg. lib. 4. ep. 32. ad Mauritium Imperatorem, D. Chrysostom. lib. 2. de sacerdotio in principio, Eucherius Lugdunensis sermon. In vigil. Petri, Euseb. Emissenus in serm. nat. Ioan. Euang. vbi etiam obseruat prius Christum dixisse: *Pasce agnos*, tum, *Pasce oues*, quod non solum pastorem, sed pastorum pastorem constitueret, *prius* ait, *agnos; deinde oues commisit, quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oues, pascit filios, pascit et matres; regit et subditos et praelatos: omnium igitur pastor est, quia praeter agnos et oues in Ecclesia nihil est.*

Idemque habet Eucherius loco citato inquiens: *Dominus Petro, ait, pasce oues meas, prius agnos, et deinde oues commisit ei, quia non solum pastorem, sed pastorem pastorum constituit; pascit igitur Petrus agnos, pascit et oues, pascit et filios, pascit et matres etc.* Quare Arnobius in psalm. 138. notat, nullum Apostolorum factum pastorem vt Petrum, quia nulli dictum est: *Pasce oues meas*, ita vt Petrus habuerit commune pastoris nomen cum Christo, non alii, sicut etiam Maxim. Turin. Episcopus homil. in natiuit. Apostolorum Petri et Pauli notat, Petrum solum habuisse commune cum Christo nomen petrae.

Sunt tamen alii, qui existimant potestatem illam datam esse Petro his verbis: *Tu es Petrus*, et: *Tibi dabo claues*, vt Anacletus ep. 3. c. 3. Alexander 1. ep. 1. Iulius 1. ep. 2. Pius 1. ep. 1. Ioan. Patriarcha Constantinopolitan. ep. ad Hormisdam Papam, et Greg. VII. lib. 8. ep. 21. ad Episcopum Metensem. Item ipse diu. August. serm. 5. de festo sancti Petri et Pauli his verbis: *Dignus certe, qui aedificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum.* Et S. Marcell. ep. 1. *Ipse*, ait, *est corpus totius Ecclesiae, cui ait dominus: Tu es Petrus, etc.* Itemque D. Hilarius c. 6. in Matth. 5. Et Beda homilia in die SS. Petri et Pauli, et Stephanus III. ep. ad Carolum et Carolomanum. Et Adrianus 1. ep. 3. et Nicolaus 1. ep. 6. et alii multi: sed hoc illi dicunt, quia promiserat Christus principatum sub illis verbis, *Et impossibile est mentiri Deum*, ἀδύνατον ψεύσασθαι τὸν Θεόν, vt ait D. Chrysost. lib. 1. de prouidentia.

Sunt et alii, qui putant datam his verbis: *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, et confirma fratres tuos*, vt Felix 1. ep. ad Benignum, Agatho ep. ad Constantinum in 6. synodo act. 4. Nicolaus 1. ep. ad Michaelem, Innocentius III. ep. ad Episcop. Arelatens. Innocentius II. ad Episcopum Senonensem, Leo 1. serm. 3. de assumt. sua, Bernardus ep. 190. Lucius 1. ep. ad Episcopos Hispaniae et Galliae, et D. August. ep. 204. quaest. veteris et noui testamenti 75. his verbis: *Pro Petro, ait, rogabat, et pro Iacobo, et pro Ioanne non rogabat, vt caeteros taceam, manifestum enim est in Petro omnes contineri, rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur.* Et propter illam orationem Christi seu illa verba colligunt omnes, Ecclesiam Romanam non posse errare, et esse immaculatam, vt loquitur D. Hieron. contra Ruffinum, et constat ex Marco Papa ep. ad Athanasium, et concilio generali 6. act. 8.

Et sane huius potestatis datae Petro multa signa et argumenta processerunt, aut subsecuta sunt, vt quod Christus pro se et Petro voluit solui didrachma, non pro aliis, teste D. August. in qu. noui testamenti qu. 75. *Saluator*, ait, *cum pro se et Petro dari iubet didrachma, pro omnibus exsoluisse videtur, quia sicut in solutione erant omnes causae magisterii, sic et post Saluatorem omnes in Petro continerentur, ipsum enim constituit caput esse eorum, vt esset pastor gregis dominici, sicut Christus Dominus eum fundamentum suae Ecclesiae appellauerat, tu es Petrus, etc.* Et teste etiam D. Hier. com. in Matth. c. 18, in haec verba: *Quis putas maior est in regno coelorum? quia viderunt, ait pro Petro et domino idem tributum redditum, arbitrati sunt Petrum omnibus esse praelatum.* Et Chrysost. homil. 59. in Matth. ait: *Ad unum delatus honor est, tunc maxime doluerunt, quanquam non ex hac re solum, sed ex aliis multis inflammati fuerunt, tum quia dixit: Dabo tibi claues regni coelorum, tum quia: Beatus es Simon: tum etiam hic: Da ex illis pro me et te.* Item deinde, quod solus iussus est mittere hamum; iurisdictio enim Petri hamo signatur, can. *est aliud* 24. q. 1. *Est aliud*, inquit, *piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari dominus iubet, dicens: mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascendet, tolle.* Et cau. *plurimus dist.* 82. *Et ideo*, ait, *solus Petrus piscatur hoc gene-*

re, ipse enim habet potestatem ligandi atque soluendi prae aliis. Tertio, quod Petrus primus Apostolorum semper loquutus sit in coetu Apostolorum, aut primus responderit Christo eos interroganti, vt Marci cap. 10. Lucae 8. quod obseruauit D. Chrysost. homil. 21. in acta. *Vide*, ait, *vbique Petrum circumcursare, et primum inueniri, quando eligendus Apostolus; hic primus quando loquendum Iudaeis, non esse ebrios Apostolos, quando curandus claudus, quando concionandum, hic prae aliis est; quando agendum contra Principes, quando contra Ananiam, quando ab vmbra sanationes fiebant, hic erat.* Et idcirco Petrus dictus est totius Apostolici coetus os, a Theophylacto in cap. 21. Ioannis; et a D. Chrysostomo homil. 58. in S. Matthaeum. Quarto, quod Petrus primus nominetur Apostolorum Matth. 10. v. 2. et tamen is non fuerit primus vocatione, sed Andreas; vnde colligitur esse primum dignitate, vt recte D. Ambros. in 2. ad Corinth. cap. 2. *Prior*, ait, *secutus est Andreas Saluatorem, quam Petrus, et tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus.* Quae omnia eleganter complexus est Innocentius III. lib. 1. mysteriorum missae cap. 8. *Omnibus*, ait, *Apostolis Christus vnum praepositum, videlicet Petrum, cui totius Ecclesiae principatum, et ante passionem, et post passionem commisit: ante passionem, cum dixit: Tu es Petrus: licet enim omnibus Apostolis communiter dixerit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, principaliter Petro concessit, cum dixit: Quodcunque ligaueris etc. Circa passionem autem, cum pluraliter dixisset omnibus: Simon ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, singulariter tamen pro Petro subiunxit: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, statimque subiunxit: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos: ad Petrum autem tanquam ad magistrum pertinet, caeteros confirmare, etc. Post passionem, cum tertio quaesisset a Petro: Simon Iona diligis me plus his, et ille tertio respondisset domino: Tu scis, quia amo te, tertioque praecepit: Pasce oues meas, statimque subiunxit: Sequere me. Petrus enim secutus est Christum non solum in genere martyrii, sed etiam in ordine magisterii.*

Quapropter sancti Patres semper vocauerunt Petrum caput et principem Apostolorum. D. Dionys. de diuin. nominib. c. 3. vocat, *supremum decus et antiquissimum theologorum columen, summum et verticalem Apostolum.* Et D. Chrysost. homil. 58. in S. Matth. 5. *Os et principem Apostolorum, verticem totius Consistorii, pastorem ac caput Ecclesiae.* Et Euseb. lib. 2. hist. c. 14. *probatissimum omnium Apostolorum, ac maximum fidei magnificentia primorum principem.* Et Cyril. Hierosol. catech. 2. *discipulorum ex institutione Christi primum, et regni coelorum clauigerum.* Et Cyril. Alexandrin. lib. 2. in Ioannem c. 94. *principem, caputque caeterorum.* Et iterum Chrysost. homil. 55. in Matth. *pastorem et caput vniuersoque terrarum orbi a Christo praefectum, et praepositum.* Et Origen. in c. 1. Ioannis. Et Epiphanius haeresi 51. *ducem discipulorum.* Et D. Hieron. l. 1. contra Iouinianum, *caput omnium Apostolorum creatum a Domino.* Et D. Aug. in psal. 108. *primatu a domino donatum.* Et synod. Chalcedon. act. 3. *petram et crepidinem Ecclesiae Catholicae, et rectae fidei fundamentum.* Et Sozomen. lib. 7. c. 4. *principem Apostolorum.* Et Hypol. martyr. orat.

de consumm. mundi, *mundi principem et fidei petram.* Et S. Petrus Alexand. ser. de poenit. et D. Basil. in proemio regularum latius disputatarum, et Cassian. l. 3. c. 12. de Incarnat. Domini, *principem Apostolorum.* Et Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Donat. et D. Hieron. in psalm. 13. *caput Ecclesiae.*

Dixi, Christum dando hanc nouam potestatem Petro, non sustulisse, aut abrogasse quidem vllo modo potestatem Apostolorum, sed ei quodammodo derogasse potestati, et mutasse statum Ecclesiae, constituendo in ea Petrum supra alios Episcopos; vt patet ex Optato Mileuitano lib. 2. *Petrus praeferri omnibus Apostolis meruit, et regni coelorum claues caeteris communicandas solus accepit.* Et ex Theophylacto in cap. 2. Ioan. *Tradidit Petro praefecturam fidelium omnium.* Et Euthymio cap. vlt. Ioan. *Petrus accepit praesidentiam supra discipulos.* Et Leone magno serm. 3. de assumtione sua ad Pontific. *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui et vniuersarum gentium vocationi et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae partibus praeponatur, vt quamuis in populo Dei sint multi Sacerdotes, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.*

Haec autem praefectura, seu praesidentia nouum statum dedit Ecclesiae; et cum specialis et posterior illa generali potestate aliorum Apostolorum fuerit, non est dubium, quin potestati aliorum Apostolorum derogauerit, cum posteriora prioribus, et species generi in omnibus derogare existimetur *l.* 80. *D. de regulis iuris.* Specialis autem dicitur a D. Leone. ep. 89. ad Episcop. Viennenses: *Cum prae caeteris soluendi et ligandi potestas tradita sit, pascen'arum tamen ouium cura spe ialius mandata est.* Et personale ius a Tertulliano lib. de pudicitia: *Qualis es euertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem: super te*, inquit, *aedificabo Ecclesiam meam.*

Dixi, Christum ita reduxisse Ecclesiam ad vnum caput, eamque fecisse alio modo vnam; quod probatur ex D Hieronymo dial. aduers. Lucifer. c. 4. *Ecclesiae*, ait, *salus a summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab hominibus eminens donata potestas, tot in Ecclesiis efficiuntur schismata, quot Sacerdotes.* Et ex D. Cyprian. l. de vnitate Ecclesiae: *Et quamuis*, ait, *Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: Sicut misit me pater, etc. tamen, vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, et vnitatis eiusdem originem ab vna incipientem sua authoritate disposuit, etc.* Et ex Optato l. 2. *Omnium Apostolorum caput Petrus Romae sedet, vt in illa vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne caeteri Apostoli singulas cathedras sibi quisque defenderet.* Idemque probatur ex D. Th. l. 4. contra gentes cap. 76. Et certe alio modo facta est Ecclesia vna, quandoquidem antea omnes erant aequales, et nullus, qui repraesentaret Christum caput eorum, vt postea Petrus constitutus caput repraesentauit, teste D. August. in quaest. veteris et noui testamenti q. 75. *Sicut*, ait, *in Saluatore erant omnes causae magisterii, ita et post Saluatorem in Petro omnes continentur: ipsum enim constituit caput eorum, vt pastor esset gregis dominici.* Et teste Cyrillo Alexandr. apud D. Thomam libro contra Graecos: *Sicut Christus accepit a*

Patre sceptrum Ecclesiae gentium dux ex Israele egrediens super omnem principatum et potestatem; sic et Petro Christus, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit. Et confirmatur ex Leone ad Episcopos Galliae prouinciae Viennensis. *Huius*, ait, *muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi capite, dona sua velut in corpus diffunderet, vt vxorem se mysterii intelligeret esse Diuiuini, qui ausus esset a Petri sanctitate discedere, tunc enim in consortium indiuiduae vnitatis assumtum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, etc.*

Diximus praefecturam illam, pascendi gregem, ita fuisse datam Petro, vt esset tamen communicabilis, vel suis in totum successoribus, vel aliis in gradu inferiori. Probatur ex D. Aug. in psalm. 108. vbi dicit potestatem illam, cum data est Petro, datam etiam esse toti Ecclesiae, sub persona et figura Petri, et quod ei datum, referendum esse ad Ecclesiam, quam significabat. Haec enim est mens Diu. Aug. vt data ei sit tanquam communicabilis, qui tamen laborauit in eo explicando, sicut et nos laboramus; nam, vt ait Ecclesiastes cap. 1. cunctae res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. Verba D. August. psalm. 108. haec sunt: *Quaedam dicuntur, quae ad Apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit, sicuti est: Dabo tibi claues.* Et tract. 50. in Ioan. *Si in Petro non esset Ecclesiae Sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo claues, etc. Et si hoc Petro tantum dictum est, non hoc facit Ecclesia, sed si in Ecclesia hoc fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit.* Et tractatu 124. in Ioann. *Quod ad Petrum proprie pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundantiore gratia vnus, idemque primus Apostolus, sed quando ei dictum est: Tibi dabo claues, etc. vniuersam significauit Ecclesiam.* Et iterum eodem tractatu: *Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum totius Ecclesiae gerebat figurata generalitate personam.* Idem asserunt Tertull. in Scorpiaco cap. 10. *Si et adhuc clausum est caelum, memento claues eius hic Dominum Petro et per eum Ecclesiae reliquisse.* Et Photius etiam in bibliotheca, vbi cum retulisset illud Eulogii lib. 2. *Ideo*, ait, *nec alteri cuiquam discipulo dixit Saluator: Tibi dabo claues regni coelorum, sed soli Petro*; Addit Photius: *hoc ait Eulogius verisimilius, quam verius: etsi enim Petro dictum est, verum tamen in persona coryphei et caeteris Apostolis talis potestas data est.* Et D. Ambrosius in psalm. 38. *Quod Petro dicitur, Apostolis dicitur, non potestatem vsurpamus, sed seruimus imperio.* Et Isidor. in allegor. *Petrus personam Ecclesiae gestat, qua habet potestatem dimittendi peccata, Apostoli quoque solius Ecclesiae portant typum. Quia et iidem in dimittendo similem acceperunt potestatem, habentes quidem et formam Patriarcharum, qui per verbum praedicationis in toto orbe terrarum Deo populos spiritualiter genuerunt.* Et Optatus Mileuitanus lib. 7. vbi de Petro ita loquitur: *Et praeferri caeteris Apostolis meruit, et claues regni coelorum communicandas solus accepit.* Et Origenes tract. 1.

in Matth. vbi dicit: *Ea, qua dictae sunt Petro, tu es Petrus, esse communia omnibus Apostolis, et super ipsis et aedificatam esse Ecclesiam, et portas inferi non praevalere aduersus eorum Ecclesias, vti nec adversus Ecclesiam Petri.*

Dixi, esse communicabilem totam successoribus in Ecclesia Romana, et secundum partem aliis probatur prima pars ex D. Chrysostomo l. 2. de sacerdotio: *Quoniam eadem de causa, idem ille* (supple Christus) *sanguinem effudit suum certe, vt oues eas acquireret, quarum curam, tum Petro, tum Petri successoribus committebat.* Nam, vt habet concilium Nicaenum can. 39. *Sicut Petrus primatum tenuit in Ecclesia, ita et summi pontifices, eius successores: ille ait, qui tenet sedem Romae, caput est, et princeps omnium patriarcharum, quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Christianos principes, et omnes populos eorum, vt qui sit vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos, et vniuersam Ecclesiam Christi, et quicumque contraxerit, a synodo excommunicatur.* Et concilium Eph. can. 15. *Nullum dubium, imo seculis omnibus notum est, sanctum beatissimumque Petrum Apostolorum principem, et caput, fideique columnam catholicae fundatam, a Domino Iesu Christo Saluatore nostro coelestis regni claues accepisse, soluendi atque ligandi potestat:, quam acceperat, vsum fuisse, nec non per successores suos huc vsque viuere.* Et concil. Constantinopol. contra Monothelitas act. 8. vbi, quod Agatho Papa dictauerat, censetur dictatum a D. Petro. Et concilium Nicaenum 2. c. 5. *Romana Ecclesia disponente Domino super alias ordinariae potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Chi isti fidelium, & magistra.* Dixi, in Romana Ecclesia, nam ea est, quae possidet principatum, vt recte Irenaeus lib. 3. cap. 3. vbi dicit: *Ad Romanam Ecclesiam propter potiorem principalitatem oportere omnes Ecclesias conuenire.* Et Tertul. de praescript. haeretic. *Nonne*, ait, *tandem sedem Romae a S. Petro locatam, primum dixit, et eius pontifices B. Petro successisse, in eadem sede, quam praecipuam vocat, ad cuius tribunal solummodo in dubiis fidei recurrendum.* Et D. Cyprian. lib. 1. ep. 7. *Hanc cathedram S. Petri vocat Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis orta sit.* Et D. Athan. ep. ad solitariam vitam degentes, ait, *Romanam Ecclesiam esse sedem apostolicam, et potestatum culmen.* Et Sozom. lib. 4. cap. 16. hist. vocat *matrem omnium sedem.* Et Leo ep. 84. *Matrem ac dominam.* Et Gregor. l. 2. reg. ep. 30. *Matrem, magistram, principemque.* Et D. Basil. ep. 77. *Caput vniuersalis Ecclesiae.* Et D. Hieronym. ep. 16. *Tutissimum por um communionis catholicae.* Probatur 2. pars, nam distributione Ecclesiae, quam totaliter habebat Petrus, facta aliis Apostolis, illi tantum vocati videntur in partem sollicitudinis, et facti particulares, at locales Episcopi, vt recte Leo 10. in concil. Lateran. sess. 10. *Mature*, ait, *considerantes, quod post Christi ad coelos ascensionem Apostoli per singulas vrbes, et dioeceses Episcopos distribuerunt, sicut S. R. Ecclesia per orbem constituit eosdem Episcopos in partem sollicitudinis vocando, onera gradatim distribuendo per Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos.* Et D. Cyprian. ep. 55. vbi dicit: *Singulis pastoribus portionem gregis esse adscriptam, quam regat vnusquisque, et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.* Et lib. de vnitate

Ecclesiae: *Episcopatus vnus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur.*

Dixi, Petrum a Christo primum habuisse titulum Ecclesiae, alios vero postea ab Apostolis vel synodis imitatione eius. Et probatur prima pars. Nam ideo Ecclesia Petri sola a Christo fuit instituta; Ecclesiae vero particulares ab Apostolis vel synodis, vt dicitur can. *sacrosancta* dist. 22. *Sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, et eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipsi beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus.* Et can. *omnes* ead. dist. *Ecclesiam Romanam fundauit verbum, quo coelum constructum est.* Et can. *quamuis* dist. 21. *Quamvis vniuersae Ecclesiae vnus thalamus Christi sint, sancta tamen Romana catholica, et Apostolica Ecclesia nullis synodicis constitutis caeteris Ecclesiis praelata est, sed Evangelica voce domini et saluatoris nostri primatum obtinuit.* Et can. *ita dominus* dist. 19. quem praetermitto. Et synodo Carthaginensi ep. ad Ianuarium: *Cum sit vna Ecclesia a Christo domino super Petrum Apostolum ab initio verbo virtutis fundata.* Et ita Nicolaus primus ep. ad Michaelem imperatorem ait: *Priuilegia Romanae Ecclesiae a Christo donata, synodis vero oecumenicis non donata, sed celebrata atque honorata.* Et ep. ad Mediolanenses: *Ecclesiam Romanam solus ipse Christus fundauit, et super petram fidei mox nascentis erexit, qui B. Petro aeternae vitae clauigero terreni simul et coelestis imperii iura commisit, non ergo quaelibet terrena sententia, sed illud verbum, quo constructum est coelum et terra, et per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam, illius certe priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur.* Et Gelasius primus in concilio Romano, *Romana*, ait, *Ecclesia caeteris praelata est non synodicis constitutis, sed Evangelica voce domini, et saluatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus.* Et Innocentius tertius cap. *nouit* de iudic. *Cum non humanae constitutioni, sed diuinae potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo.* Et D. Thomas opusculo contra errores Graecorum cap. 64. 65. 66. vbi de primatu Petri agit, et refert verba Cyrilli supra citata. Et Isidorus lib. 2. de officiis cap. 5. *In nouo testamento post Christum sacerdotalis ordo ab Apostolo Petro coepit; ipsi enim primus pontificatus datus est, et Ecclesia Christi dicente domino. Tu es Petrus.* Idemque habetur in concil. Aquisgranensi sub Stephano V. *In nouo*, ait, *testamento post Christum sacerdotalis ordo a Petro Apostolo coepit; ipsi enim primum datus est pontificatus in Ecclesia Christi, &c.* Probatur secunda pars, alias Ecclesias constitutas esse ab Apostolis vel synodis; nam Petrus vel eius successores alias Ecclesias instituerunt, can. *omnes* dist. 22. et patet ex Hugone Etheriano, temporibus Emanuelis Constantini, qui ita alloquitur Graecos: *Ex ipsa rei euidentia apparet, quod Petrum eiusque successorem, Scilicet Romanum Pontificem, Christus principem et caput non modo Latinorum, Graecorum, occidentis, septentrionis vniuersi; verum et Armeniorum, Arabum, Iudaeorum, Medianitum, Amalecitarum, et totius orientis, et meridiani climatis in perpetuum constituit, ob quam rem occidui solis limites vniuersi Petri successorem usque nunc sibi Dominum recognoscunt, et sub ipso praesule dirigun-*

riguntur, *quod omnem ab vtero gremioque matris errantem facere opportunum est*; *Petrus enim magnus Christi Apostolus in omnibus fere ciuitatibus Cappadociae*, *Phrygiae*, *Macedoniae*, *Graeciae*, *Epiri*, *Siciliae*, *Italiae*, *Galliae*, *Hispaniae*, *extremitatum Episcopos ordinauit. Etenim Iacobus eius fauore Hierosolymorum thronum tenuit*, *deinde Euodium Antiochiae ordinauit*, *Tarsi Vrbanum*, *Epaphroditum Lyciae*, *Sygeilum Ephesi Smyrnae Apellem*, *Philippis Olympum*, *Thessalonicae Iasonem*, *Sylam Corinthi*, *Parthis Herodianum*, *Thauriaminii Magnum*, *Alexandriae Marcum*, *amplius autem in Niceae*, *Thraciae partibus similem adparauit ordinem*, *et eundem factum iri successoribus suis commendauit*. Et patet etiam ex supra dictis. Primaque Ecclesia particularis, in qua constitutus fuit ab Apostolis Episcopus, fuit Hierosolymitana, vt patet ex Eufeb. in chron. Et lib. 2. hist. Eccl. cap. 1. Et D. Ambrosio in Lucam vbi dicit: *Iacobum primum ex Apostolis conscendisse sacerdotale sacerdotium*. Et Nicephoro l. 6. c. 16. vbi dicit Iacobum fuisse Episcopum a Christo factum, et ab Apostolis, quod ita est intelligendum, vt a Christo factus sit secundum potestatem Episcopalis characteris, et missionem indistinctam, et ab Apostolis distinctione locorum opposita. Et confirmatur a D. Chrysost. homil. 87. in Ioannem: *Si quis*, ait, *a me percontaretur*, *quomodo Iacobus sedem Hierosolymitanam accepit*, *respondérem ego*, *tunc totius orbis magistrum Petrum praeposuisse*, *quem vna cum Ioanne*, *et alio Iacobo vnxisset*. Et ab Euthemio in cap. vlt. Ioan. *Petrus*, ait, *accepit praesidentiam super discipulos*, *si dicas*, *quomodo Iacobus sedem Hierosolymie accepit*, *respondeo hunc Petrum totius orbis magistrum constitutum*, &c. Idemque dicitur can. 2. dist. 66. Vbi habetur, inde originem sumsisse formam consecrandi Episcopos per tres alios Episcopos. *Hierosolymitarum*, ait, *primus Archiepiscopus Iacobus iustus a Petro et Iacobo et Ioanne*, *Apostolis ordinatus successoribus videlicet suis dantibus formam*, *vt non minus*, *quam a tribus Episcopis*, *reliquisque omnibus assensum praebentibus vllatenus Episcopus ordinetur*, *et communi voto ordinatio celebretur*. Haec igitur prima Ecclesia particularis, aliae vero non tam cito institutae, quoniam prius acquirendae, et conuertendi populi ad fidem. Ratio vero, cur Iacobus statim praefectus fuit Ecclesiae Hierosolymitanae, duplex potest assignari, prima, quia prius conuertendi fuerunt Iudaei, quam gentiles de mandato ipsius Christi, vt dicemus postea. Secundo id factum propter Iudaeos ipsos, ne scandalizarentur, si alius eis praeficeretur. Nam cum frater Christi putaretur Iacobus, et Christiani sacerdotem suum Christum dicerent, ipsi credidissent Iacobum debere Christo succedere ratione sanguinis in sacerdotio, vt obseruat diuus Epiph. lib. 1. aduersus haereses, haeresi 29. *Christus*, ait, *sacerdotii dignitatem adeo fortitur est*, *quod et Pontifex sit*, *et Pontificum omnium moderator ac princeps*. *Quare Iacobus ille*, *qui Domini frater appellatus est*, *et eiusdem Apostolatus primum omnium est Episcopus constitutus*, *qui cum Iosephi naturalis esset filius*, *Domini frater*, *ob id vocatus*, *est*, *quod in eius conuictu ac consuetudine versaretur*. Et propter eandem rationem factum etiam est, vt per longam seriem de cognatione illa Christi Episcopi Hierosolymitani assumerentur, vt constat

ex historia ecclesiastica, non quod Iacobus vere successerit Christo, sed Petrus, verum quod Apostoli videntes hanc esse doctrinam Iudaeorum, vt Pontifices sibi iure sanguinis succederent, noluerint eis dare occasionem effrenandi se, si alium quem constituissent Episcopum in Hierosolymitana Ecclesia, et hactenus de Eccl. Hierosolymitana. Quod vero attinet ad alias Ecclesias particulares Apostolorum, de iis videndi ecclesiasticae historiae scriptores, et nos dicemus postea. Extiterunt enim Ecclesiae paulatim et Episcopatus, et accidit Petro primogenito Ecclesiae, quod accidit aliis primogenitis; nam nascente aliquo filio primogenito, is statim tanquam solus et suus haeres acquirit omnia bona patris et matris. Quod, si tum succrescat soboles, et alius, vel alii filii nascantur, illi omnes nascendo legitimam partem sortiuntur, et acquirunt, et ex hoc capite deminuunt, et bona istius primogeniti, nisi quid a lege, vel testatore praecipuum habeat. Iam similiter, cum Petrus solus natus esset Episcopus in Ecclesia, solusque titulum in ea haberet, aut potius eam totam haberet in titulum, constitutis aliis Episcopatibus et Episcopis, et veluti natis in Ecclesia Petri, salua eius praecipua praerogatiua, et pro vna Ecclesia fuerunt plures.

Probatur tertia pars, nempe imitatione Petri in Ecclesia Episcopi constituti alios Episcopos etiam in ea constitutos fuisse. Et patet ex D. Augustino ep. 93. *Arbitror*, ait, *omnes fratres et Episcopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis, et honoris auctorem deferre debere*, et ex D. Areopagita lib. de coelesti hierarch. c. 7. vbi dicit alios Episcopos esse ad instar Petri *κατ' αὐτὸν ἱεράρχας*, quod S. Maximus et Pachimerius ita explicant *κατὰ μίμησιν τοῦ ἁγίου Πέτρου*, id est, *ad similitudinem D. Petri.* Dicitur autem ad similitudinem D. Petri factos fuisse Episcopos, non quod acceperint a Petro potestatem dimittendi peccata aut ordinem Episcopalem, quem a Christo acceperunt; verum quod acceperint ab eo ius tituli Episcopalis, et Ecclesiae distinctae et formatam gubernationem ad instar Petri, et exercitium suae potestatis Episcopalis ad instar iurisdictionis, quam Petrus a Christo acceperat, accipientes separatim ab ordine Episcopali Episcopatum, sicuti Petrus separatim accepit Episcopatum ab Episcopali charactere: vt satis potest colligi ex Leone I. ep. 84. *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam distinctio potestatis, et cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt caeteris praeemineret: de qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio; magna enim dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia.* Et rursum quidam in maioribus vrbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem. Confirmatur nostra sententia, alios nimirum Apostolos imitatione Petri fuisse constitutos Episcopos ex D. Athanasio ad Felicem: *Romana*, ait, *Ecclesia firmamentum fixum et immobile percepit, quoniam ipsam formam vniuersorum titulorum luci decimam Dominus Iesus Christus, vestram apostolicam constituit sedem.* Et ex Theophylacto loquente de aliis Episcopis ad cap. 16. Matth. ἔχουσι γὰρ ἐξουσίαν ἢ ἀφιέναι καὶ δέσμειν οἱ κατὰ Πέτρον τῆς ἐπισκοπικῆς ἀξιωθέντες χά-

petros, id est, *habent enim potestatem dimittendi et ligandi ii, qui iuxta Petrum dignitatis episcopalis gratiam consecuti sunt.* Et ex Origene tract. 1. in Matth. *Petra est, quisquis discipulus Petri est. ex quo bibe- runt de consequenti petra, et super talem petram constituitur omnis doctrina, in vnoquoque enim profecto est, quae a Deo aedificatur Ecclesia.* Et in philocalia: *Si quis est, vt Petrus, aedificationem Ecclesiae in se continens.* Et propterea D. Cyprianus ep. 40. comparabat Ecclesiam Petri, fonti, stipiti, cordi, capiti, iecori, et alias Ecclesias riuis, radiis, ramis, neruis, arteriis, venis, eo quod ab Ecclesia Petri, et de ea et ad eius formam omnes aliae Ecclesiae sint. *Haec*, ait, *cathedra vnitatis est, vt ab vno fonte plures riui, ab vno sole plures radii, ab vno stipite plures rami, ab vno iecore plures venae, ab vno corde plures arteriae, ab vno cerebro plures nerui, ab vna illa Ecclesia plures Ecclesiae exeunt, et ad illam omnes reuocantur, vt ab vno milliario aureo, quod Romae fuit in foro, omnes viae ducebantur, omnes viae ad vnum reducebantur.* Cui loco conuenienter dicebat etiam Dionys. Areopag. lib. 6. de Ecclef. hierarch. c. 5. *Potentiam omnem ecclesiasticam desinire in suum Pontificem*, vt scilicet sicut potentia Petri coepit a Christo, et finitur in Christo; ita potentia aliorum Episcoporum debet finiri in Petro, vti coepit a Petro.

Dixi, quod licet Episcopatum acciperent de Episcopatu Petri alii Episcopi, et ad instar eius, id esset sine imperfectione, et non ideo essent eius vicarii, sed Christi, et vere diuina gratia Episcopi, quod agnoscit D. Greg. l. 4. ep. 38. dicens: *quod Romanus Pontifex non ita sibi oecumenici titulum vsurpat, vt despectis fratribus appetat solus vocari, quasi caeteri sint vicarii, non veri Episcopi.* et l. 7. ep. 70. et ep. 30. nec Petrus potuisset sine scandalo solus retinere titulum Episcopalem in Ecclesia aliis Apostolis sine titulo Episcopali remanentibus. Et ratio est, quia alii Apostoli ordinati sunt Episcopi et missi a Christo, ita vt ius haberent in futura Ecclesia: deinde quando tota Ecclesia data est Petro, ea tamen data est vt communicabilis aliis Episcopis, vt diximus supra; et ideo D. Bernardus lib. 3. de consideratione ita alloquitur summum pontificem: *Erras si vt summam ita et solam institutam a Deo vestram Apostolicam potestatem existimas.* Et clare D. Aug. in quaest. noui et veteris testamenti q. 97. ait, alios Episcopos a Christo fuisse institutos in Eccl. *Nemo ignorat*, ait, *Episcopos Saluatorem Ecclesiis instituisse: ipse enim etc.* Instituisse vero dicitur duobus modis ante dictis: nec enim in Ecclesia vlla particulari eos fecit aut instituit Episcopos; sed consecrauit eos Episcopos, et ius dedit in Ecclesia, quam dabat Petro, et Petro dedit saluo illo iure; et e contra Petrus dicitur alio modo eos instituisse, quatenus ipse primus et solus fuit a Christo intitulatus Episcopus: et ad imitationem Petri et in eius Ecclesia alii Episcopi titulum acceperunt, vt diximus supra; idque posset aliquo modo confirmari iure ciuili, nam iure ciuili proconsul et legatus sortiuntur eandem prouinciam et simul mittuntur a populo, sicut Petrus et alii Apostoli missi sunt a Christo: sed proconsul habet tamen omnem iurisdictionem, legatus non nisi particularem iure singulari, vt est tutoris datio l. 15. de officio proconsulis, eamque habet non mandata iurisdictione, sed pro-

prio iure a populo, et ita etiam Petrus habuit primum totam Ecclesiam, aliique Apostoli partem eius, idque non mandata iurisdictione a Petro, sed proprio iure a Christo. Item legatus dicitur quidem legatus proconsulis, sed non est creatus a proconsule, verum a populo, sicut proconsul, ideoque propriam habet iurisdictionem; vnde ab eo appellatio fiebat ad proconsulem, quod non fieret nisi propriam haberet iurisdictionem; et licet in multis rebus proconsul ei iurisdictionem mandare teneretur, tamen is post mandatum faciebat nihilominus suam et propriam, licet mandata esset; ita vt non possit dici mandata simpliciter, nec propria simpliciter sed propria mandata, vt probat Cuiac. l. 7. obseru. c. 21. quod mire repraesentat iurisdictionem Petri et aliorum Episcoporum. Ille enim habens communicabilem sui Episcopi potestatem, eius partem communicare debebat, et velut mandare aliis Apostolis, qui tamen suam faciebant non mandatam, sicut legatus: et id totum inde est, quod sicut proconsul non videbatur mandare eam iurisdictionem legato, eo quod legatus aeque missus esset a populo, sed populus potius mandare; ita et Apostoli a Christo instituti et missi, vt cum Petro regerent Ecclesiam, a Christo videntur habere illam iurisdictionem. Quia tamen legatus ille mittebatur a populo, vt partem administrationis haberet, et proconsul, vt solidam iurisdictionem; ideo oportuit legatum accipere mandatum a suo proconsule, licet non fieret eius mandatarius; similiter oportuit alios Apostolos accipere a Petro partem Episcopatus, cum totus Episcopatus iam esset Petro concessus: quo pertinere videtur illud Christi, dicentis Petro: *Confirma fratres tuos*; is enim eos confirmauit, et consecrauit in Episcopatibus suis, et ideo sicut legatus dicebatur et legatus populi et legatus proconsulis, ita et alii Apostoli dicuntur et Petri et Christi, ab vtroque quodammodo instituti. Et idem dici potest de vicariis praefecti praetorio, qui licet pro praefectis praetorio sibi creditas quarumdam prouinciarum dioeceses administrarent; tamen a principe ipso creabantur, et eam potestatem accipiebant non a praefecto praetoris, vt recte Cassiodorus in formula vicarii vrbis, et l. 1. Cod. de officio vicarii. Nam similiter Apostoli acceperunt potestatem episcopalem a Christo, et partem Episcopatus a Petro, et vere tunc videntur confirmati in Episcopatu a Petro.

Nam Iacobus fuit quidem Episcopus a Christo factus, sed postea in Episcopatu consecratus et confirmatus a Petro et aliis Apostolis: ideoque dicitur a Nicephoro Callisto l. 6. c. 16. a Christo et Apostolis creatus esse, et quod post electionem vel consecrationen opus sit adhuc aliqua institutione, videtur probare illud, quod dictum est de D. Paulo: *Segregate mihi Saulum ac Barnabam in opus, quod assumsi eos.*

CAPVT XVII.

Rationes redduntur, propter quas Deus voluit suam Ecclesiam esse aliquo tempore sub vno solo Episcopo, nempe Petro; qui status est II. Ecclesiae.

Prima ratio, propter quam vni datum est, vt caeteris emineret, est, ne omnes sibi omnia vindicarent, vt ait Leo 1. ep. 84. supra citata, ideoque Apostoli dicuntur elegisse Petrum in caput suum, non quod elegerint, sed quod declarauerint, se agnoscere eum in principem suum, ita, vt quemadmodum Dauid ter vnctus in regem fuisse comperitur, prius a Samuele, secundo a viris Iuda in Hebron, tertio coram vniuersis tribubus Israel, rursus in Hebron; ita Petrus, vt recte argumentatur Petrus Damiani epist 20. lib. 1. semel a Christo constitutus est princeps Apostolorum, 2. ab ipsis Apostolis princeps agnitus, 3. ab vniuersa Ecclesia declaratus: vel etiam ter fuit praesidens Ecclesiae Antiochenae, Alexandrinae et Romanae. Confirmatur ex D. Hieronymo dialogo in Luciferianos c. 4. *Ecclesiae*, ait, *salus a summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quaedam et ab hominibus eminens donatur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes:* Idque maxime nisi maiores causae et consultationes et appellationes ad vnum summum fierent sacerdotem, vt notat Melchiades papa apud Burchardum lib. 1. c. 2. Namque, vt ait D. Dionys. Areopag. de Eccles. hierarch. c. 5. quemadmodum videmus omnem hiaerchiam in Iesum desinere, sic et vnamquamque in suum pontificem; hierarchia enim nihil aliud significat, quam omnium simul ordinum sacrorum dispositio em, teste eodem Dionysio c. 1. et Ecclesia quaelibet particularis, quae habet suum Episcopum, habet suam hierarchiam, vt notat Pachimerius et Maximus, eodem libro Dionys. Areop. c. 1. et sicut Episcopus omnis est hierarcha presbyterorum, archidiaconus diaconorum, atque ita deinceps, vt habet Maximus dicto c. 1. multo magis Petrus, ceu summus pontifex erit hierarcha omnium Episcoporum loco Christi, et ad eum, vt ad Christum definet hierarchia omnis.

Secunda ratio esse potest ea, quam tangit D. Basilius ep. 67. vt Ecclesia haberet maiorem vnitatem, quam si Apostoli omnes permixte eam rexissent. D. enim Basil. ibi dicit: *Vnius Episcopi praesidentiam tanquam animam, in communione conseruare Ecclesiam.* Quod etiam supra satis ostensum est.

Tertia, vt Ecclesia, quam corpus suum esse volebat Christus in hoc mundo, haberet etiam in eo caput; vnde dona omnia defluerent ad alia membra, vt iam diximus ex Leone ep. ad Episcopos Galliae Viennenses. Et confirmatur ex D. Cyrillo in thesauro: *Decet nos, vt membra, cum capite coniungi Romano pontifici, et Apostolico throno, a quo nostrum est, quaerere, quid eredere, quid sentire, quid tenere debeamus.*

Quarta est, vt quemadmodum ipse Christus in solidum acceperat a patre suo potestatem; ita eam in solidum daret Petro, vt ostensum est supra ex D. Au-

gust. in quaest. veteris Testament. quaest. 75. et ex D. Cyrillo Alex. apud. D. Thom. lib. contra Graecos; et adhuc probari potest ex D. Chrysost. Lucae 9. *Filius Dei homini mortali omnium, quae sunt in coelo, potestatem tradidit, dicens: Tibi dabo claues regni coelorum.* Nam sicut Christus exemplum fecerat sacerdotum in discipulis, et Episcoporum in Apostolis; ita et fecit summi pastoris in Petro.

Quinta est, vt dominium gregis Christi transiret ad summum vicarium, quod aliter transire non potuisset. Nam, vt est in regula iuris 11. *Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.*

Sexta est, quia, vt est in concilio Aquisgranensi sub Stephano 5. et Ludouico pio imperat. *Quatuor sunt genera Apostolorum, vnum a Deo tantum, vt Moyses, alterum per hominem et Deum, vt Iosue, tertium tantum per hominem, sicut his temporibus multi fauore populi, et potestatum in sacerdotium subrogantur, quartum genus est pseudo Apostolorum.* Similiter oportuit, vnum a Deo solo Episcopum cum titulo tantum esse, nempe D. Petrum, alios vero Apostolos per Deum et hominem accipere titulum Ecclesiae, vt constat de Iacobo Hierosolymitano Episcopo.

Septima est, quia Christus id promiserat, et nisi praestitisset, visus esset non potuisse perficere, vt recte loquitur Pet. Alexandrinus archiepisc. can. 10. *Nisi Petrus sit fundamentum Ecclesiae, dicendum est impie de Christo: Hic homo posuit fundamentum, et non potuit perficere.*

Octaua est, quia apud Iudaeos fuit vnus maximus pontifex, qui in alios potestatem habebat, teste Iosepho contra Appionem; et ideo etiam vnum esse debere in Ecclesia Christi.

Nona, quia Petrus meruerat esse primus Apostolorum teste D. Aug. serm. 39. de Sanctis. *Sanctus Petrus inter Apostolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus etc.* et D. Chrysostomo, serm. de cruce: *Crux*, ait, *Petrum caeterorum caput efficit, soli enim Petro dixit dominus: Sequere me.* Et vulgo Patres etiam dicunt, principatum meruisse fide.

Decima est, quia sicut ab vno Adamo, primo homine, qui repraesentabat genus humanum, peccatum deriuatum est ad omnes: ita vno Petro, qui repraesentabat totam Ecclesiam, claues remittendi peccata ad alios transferri oportebat, et translatae sunt, vt recte Tertull. in Scorpiac. c. 10. *Si et adhuc clausum est coelum, memento claues eius hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse.* Et confirmatur ex D. Thoma l. 4. contra gentes c. 76. vbi dicit, Christum soli Petro promisisse claues, et dixisse: *Tibi dabo claues regni coelorum*: vt ostenderetur, quod potestas clauium erat per eum ad alios deriuanda, ad conseruandam Ecclesiae vnitatem.

CA-

CAPVT XVIII.

Tertius ſtatus Eccleſiae aperitur, poſt diuiſionem Eccleſiarum factam ab Apoſtolis.

Hic eſt vltimus Eccleſiae ſtatus, qui coepit tempore Apoſtolorum, et adhuc durat, et durabit vſque ad finem mundi, in quo coeperunt Eccleſiae particulares conſtitui, et ſumi de illa Petri Eccleſia vnica et caeteris Apoſtolis in partem communicabili, vt diximus ſupra.

Sortitio ergo prouinciarum facta fuit ab Apoſtolis can. 1. diſt. 99. vt deinde per conuerſionem populorum, quae ab illis fieri debeat, vnusquisque ſibi propriam dioeceſim ſanguine ſuo acquireret. Nam, vt patet ex Clem. Alexand. lib. 4. ſtromat. Apoſtoli pro Eccleſiis, quas fundarunt, paſſi ſunt, ſicuti Chriſtus pro tota Eccleſia eſt paſſus. *Solus Dominus*, ait, *propter eorum, qui ei inſidiabantur, hominum, et infidelium expurgationem bibit calicem, quem imitantes Apoſtoli, vt qui reuera eſſent cognitione praediti et perfecti, pro Eccleſiis, quas fundarunt, paſſi ſunt.* Diximus: ſicuti Chriſtus, nam, vt ait Gotfridus ſerm. 5. *Chriſtus a parte rex et ſacerdos ordinatus eſt in cruce.* Qua de cauſa D. Petrus, qui plures fundauit Eccleſias ante Romanam, ipſam tamen Romanam retinuit, vt ſuam, pro qua mortuus eſt, eo quod alias fundaſſet praedicatione quidem ſua, ſed non ſanguine ſuo. Et ſane diu durauit ille mos tanquam apoſtolicus in Eccleſia, vt non eſſent alii termini Epiſcopatus, quam multitudo eorum, quos ad fidem conuertiſſent, et baptizaſſent, vt dicitur cap. 1. de religioſis domibus, et colligitur ex can. 53. 16. q. 1. *Praecipimus*, ait, *vt iuxta ſacrorum canonum ſtatuta, vbi multitudo fidelium excreuerit, ex vigore Apoſtolicae ſedis deleatis ordinare Epiſcopos.* Et ex can. 39. ſynodi Carthaginenſis, vbi dicitur: *Ne Epiſcopi et Clerici ordinentur, niſi omnes ſuos Chriſtianos fecerint.* Ante vero ſortitionem illam Epiſcopi promiſcue in 1. ſtatu Eccleſiae ſub Chriſto capite poteſtatem ſuam exercebant, tanquam aequales Petro, et inter ſe, vt dixi ſupra, ſed hic ſtatus Eccleſiae minimum durauit, quoniam Chriſtus ſtatim Petrum fecit caput Eccleſiae. In ſecundo vero ſtatu etiam Apoſtoli promiſcue ſuam poteſtatem exercebant propter neceſſitatem conuerſionis populorum, ſub Chriſto et ſub Petro, ſolo Epiſcopo viſibili; ſed hic ſtatus etiam non diu durauit, Iacobo paulo poſt conſtituto Epiſcopo Hieroſol. In hoc vero tertio ſtatu poſt ſortitiones prouinciarum coeperunt Apoſtoli diſtincte, et non promiſcue eam poteſtatem exercere, ſub eodem Chriſto, et Petro capite, qui eſt noſtrae Eccleſiae ſtatus, et erit vſque ad finem huius mundi.

CAPVT XIX.

Adhuc amplius expenditur, quomodo Ecclefiae particulares conftitutae fint.

Ex his, quae ante dicta funt Ecclefiafticam poteftatem ita datam Apoftolis fuiffe, vt ad vnum Petrum reduceretur, et Petro datam ita, vt omnibus aliis effet communicabilis, fatis patet, non potuiffe Apoftolos carere Epifcopatu, nec Petrum folum potuiffe eos a cathedra excludere, fed diuifionem fuiffe neceffariam; quod etiam colligitur ex verbis Chrifti, cum dixit, Marci c. 16. *Euntes in vniuerfum mundum.* Innuitur enim conditio diuifionis feu fortitionis mundi inter ipfos; non enim volebat dicere Chriftus, vt vnusquisque in vniuerfum mundum iret, et ita Apoftolos deueniffe ad Epifcopatus. Sed illa diuifio ftatim facta non fuit, nam oportuit Apoftolos aliquamdiu manere in Iudaea, praecipiente et cauente Domino, *ne in viam gentium abirent, aut ne in ciuitates Samaritanorum introirent.* Matth. 10. Et adhuc patet ex actis Apoft. c. 13. vbi D. Paulus ita Iudaeos alloquitur: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, fed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce conuertimur ad gentes.* Sed licet ad gentes ire deberent Apoftoli, tamen incipere eos oportebat ab Hierofolyma. Lucae cap. vlt. Sicut Chriftus ipfemet dicebat, fe oues domus Ifrael ante alias quaefitum veniffe, Matth. c. 15. Et Eufebius refert. lib. 2. hift. Ecclef. cap. 17. Apoftolis Dominum praecepiffe, ne vfque ad duodecim annos ab Hierofolymis difcederent, quo referri poteft illud Petri dicentis apud Clement. Alexandrinum lib 6. ftromat. *Si quis velit ex Ifrael duci poenitentia, et propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata poft duodecim annos.* Diuus vero Chryfoft. homil. 25. in acta innuere videtur, poft Apoftolicum primum Apoftolorum concilium factam fuiffe illam diuifionem. Et homil. 72. in in Matth. ait Apoftolos, vbi diu praedicaffent in Iudaea, quamuis caefos, flagellatosque, demum a Iudaeis propulfos, fefe conuertiffe ad gentes. Et Beda in retract. in acta, refellit pfeudomonachum Melitonem lib. de obitu B. Virg. in quo dicit fecundo poft Domini afcenfionem Apoftolos toto orbe difperfos.

Primus autem omnium Epifcopatus fuit Petri in Apoftolos et vniuerfam Ecclefiam, isque a folo Chrifto inftitutus, vt pluribus a nobis ante dictum eft.

Deinde fortitione facta, Petrus, et alii Apoftoli varias Ecclefias conftituerunt, vt patet ex Nicephoro lib. 3. c. 1. hift. nec tantum Apoftoli, fed etiam difcipuli Chrifti fuas regiones fortiti funt, in eas miffi ab Apoftolis, vt notat Epiphanius lib. 1. aduerfus haerefes, haerefi 19. art. 4.

Sed quia Apoftoli erant in ciuitate Hierufalem, et in ea praedicare prius Chriftum debebant, antequam ad gentes proficifcerentur, idcirco in ciuitate Hierufalem primus Epifcopatus particularis pofitus eft, fiue quia primus Petrus ibi praedicauit, vt ait Nicephorus lib. 3. cap.

cap. 1. *Petrus*, ait, *quidem Hierosolymis primum, deinde Galatiae et Bithyniae, nec non Asiae superiori, Cappadociae, et Italiae cunctae verbum praedicauit;* siue quia fere statim Iacobus primam sedem Episcopalem Hierosolymis obtinuit a D. Petro, Iacobo alio, et Ioanne consecratus, vt refert Euseb. lib. 2. histor. Eccles. cap. 1. et Nicephor. Callist. lib. 2. hist. Eccles. cap. 38. vbi dicit, cum ab ipso Seruatore Christo, vel, vt quidam volunt, ab ipsis postea Apostolis Ecclesiam Hierosolymitanam primum sibi commissam administrandam suscepisse.

Postea vero Petrus et alii Apostoli transieruut ad gentes, vbi eodem tempore diuersas Ecclesias constituerunt, vt late ostendit Nicephorus loco citato.

Petrus quidem Antiochenam, Romanam et Alexandrinam Ecclesiam constituit, ut patet ex can. 2. dist. 22. et primus dicitur sedisse cathedram Episcopatus in Antiochia 7. annos ab Anastasio bibliothecario in vita S. Petri, et inde venisse Romam, et chathedram sedisse per 25. annos, mensem vnum, dies 8. teste eodem Anastasio; et hoc est, quod voluit dicere Nicephorus lib. 14. hist. Eccles. c. 39. *Et quidem*, ait, *Petrus ex Antiochia Romam translatus est.* Quod autem attinet ad sedem Alexandrinam, ea fundata etiam dicitur a Petro, quatenus ei misit Marcum discipulum suum, qui primus in Aegyptum et Alexandriam missus ab eo dicitur, a Nicephoro lib. 2. c. 15. Vnde illa sedes in concil. Chalced. act. 3. dicta est sedes Euangelica propter Marcum Euangelistam, vel etiam quatenus ipse Marcus nomine Petri ipsam Ecclesiam Alexandrinam consecrauit, vt habetur dicto can. 2. dist. 22 vel denique quia ipsemet D. Petrus dicitur transisse Alexandrinam, etiam postquam sedere coepisset Romae, vt refert idem Nicephor. lib. 14. c. 39. Et ita confirmasse praedicatione sua, quod in ea praedicauerat D. Marcus, vt colligitur ex diu. Hieron. ep. ad Pammachium et Marcellum, his verbis: *Praedicationem cathedrae Marci Euangelistae cathedra Petri Apostoli sua praedicatione confirmet.* Non desunt tamen, qui existimant Petrum Ecclesiam Antiochenam primum instituisse, deinde Alexandrinam et tertio Romanam, vt Petrus Damiani lib. 1. ep. 20.

Andreas etiam, forte accepta prouincia missus est in Cappadociam, Galatiam, et Bithyniam, quibus peragratis, ad Scythiam quoque et Pontum peruenit, vbi Ecclesias plures primum instituit, primumque Episcopum D. Stachin praefecit, deinceps Thraciam, Macedoniam, Thessaliam, et Achaiam peragrauit, vt refert Nicephorus lib. 2. cap. 39. vbi tandem in crucem actus est a proconsule Aegeato.

Philippus quoque et Bartholomaeus Syriam et Asiam superiorem sortiti sunt, atque ibi fidei fundamentis iactis, Episcopos praefecerunt; postea Hieropolim Phrygiae peruenerunt, vbi Philippus martyrio defunctus, et Bartholomaeus in Vranopoli Ciliciae, ex eod. Niceph. eod. capite.

D. Thomas, qui et Didymus, Aethiopes et Indos sortitus est, vbi lanceis latus confossum est, ordinatis omnibus rebus ex Niceph. c. 40. et sic de aliis.

Et quia Apostoli multos sub se Episcopos ordinabant, atque constituebant, inde factum est, vt Apostoli viderentur potius esse primates, vel Patriarchae, quam Episcopi simplices; vt patet ex Rabano Mauro lib. de instit. cleric. cap. 5. et lib. de natura rerum; *Ordo Episcoporum quadripartitus est, in Patriar-*

chas, *Archiepiscopos*, *Metropolitanos*, *atque Episcopos. Patriarcha Graeca lingua interpretatur summus patrum*, *qui primum*, *id est*, *Apostolorum retinet locum*, *etc.* Et propterea Balsamo in ep. S. Dionysii Areopagitae, ep. ad Demophilum notat, Patriarchas potius dici successores Apostolorum quam Episcopos: *Apostolorum*, inquit, *autem successores eos*, *qui nec sunt Patriarchae*, *appellat.* Et S. etiam Methodius domino Pol. scribens, idem sentit, his verbis: *Quod autem*, ait, *Episcopi seu antistites et hierarchae*, *Apostolorumque successores Patriarchae eos iure segregauerunt*, *secundum diuinum Dionysium*, *canonum quoque inscriptio manifestissime declarauit.* Idemque Balsamo in can. Apost. can. 31. *In additis*, ait, *nullas Episcopis*, *sed tantum Apostolis iisque Patriarchis*, *sortito obtigisse regiones a diuinis canonibus*, *nec Metropolitano*, *nec Archiepiscopo nec Episcopo data est regio*, *sed quinque Patriarchis distributae sunt regiones totius orbis terrarum*, *et ideo ab omnibus*, *qui sunt in ipsis*, *nomina ad eos referuntur.* Et hoc clarum est 8. et 7. can 1. synodi, et 2. et 3. secundae synodi. Ex quo patet, Apostolos subdiuisisse prouincias, quae eis forte contigerant, in Episcopatus vel Archiepiscopatus. Et ita prout Ecclesiae erant ab Apostolis constitutae, aut ab eis acquisitae, manserunt diu, et inde factum est, vt in Ecclesiarum iurisdictione, aut priuilegiis, quid vsus obtinuisset, consideraretur, quod patet ex concilio Nicaeno, can. 6. et refertur can. 6. distin. 66. *Mos antiquus perduret in Aegypto vel Lybia et Pentapoli*, *vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem*, *quando quidem et Episcopo Romano pariliter mos est:* Et can. 7. *Quoniam mos antiquus obtinuit*, *et vetusta traditio*, *vt Aeliae*, *id est*, *Hierosolymorum Episcopo honor deferatur*, *habeat consequenter honorem*, *manente tamen Metropolitanae ciuitatis propria dignitate.* Ideoque, quod Patriarcham Constantinopolitanum Heracleensis Episcopus confirmaret, vsus fecit, vt ait Glycas. Et quod etiam Archiepiscopi Bulgariae et Cypri Patriarcham Antiochenum non agnoscerent, veteri consuetudini tribuitur in concilio Ephesino can. 8. Item quod Armeniae Episcopus a Constantinopolitano Patriarcha non ordinaretur, sed ab Archiepiscopo Caesareo Cappadociae primae, etiam antiquae consuetudini tribuitur a Nicaeno.

Postea concilia disposuerunt, ac diuiserunt prouincias et dioeceses, vt patet ex Niceph. lib. 12. c. 13. et aliis multis in locis.

Porro tunc etiam, cum ordinabantur Episcopi ab Apostolis, ordinabantur etiam parochi aliqui, eo modo, quo Dionysius Papa in dioecesi Romana instituit, teste Burchardo lib. 3. c. 48.

C A P V T XX.

Rationes redduntur huius tertii status, *quo fuit facta Ecclesiarum partitio.*

Prima ratio huius diuisionis et separationis Episcopatuum haec fuit, quia Christus ita dederat Ecclesiam soli Petro, vt ad instar eius possent particulares Episcopi constitui, vt ostensum est supra ex Leone 1. ep. 84. et ex multis aliis. Christus enim instituens Petrum iam promiscuam agendi illam rationem ex parte sustulerat,

Secunda eſt, quia ratione naturali ſuadente illa diſtinctione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouinciis ſinguli, vt habet idem Leo 1. ep. 84. quod conuenientiſſimum fuiſſe rationi naturali docet D. Baſilius ep. 406. his verbis: *Fuiſſe autem multo ducibilius vniuerſae Ecclesiae, vt in plures Epiſcopos ſollicitudo haec diuideretur, e rebus ipſis manifeſtum eſſe cuiuis arbitror.* Plerumque enim accidit, vt officia indiuiſa vel diſcordiam ſecant, vt ait diuus Ambroſius lib. de Abraham c. 3. *Frequenter*, ait, *indiuiſa officia apud dominos ipſos diſcordiam ſecant, diuide potius, vt maneat amicitia.* Vel ſaltem negliguntur, vt patet ex Liuio lib. 30. *Communi ac domiſiſſimo vitio, plerique tantum ea curant, expetunt et optant, quae ſibi ipſis priuatim proſint, nihil ſolliciti de communi bono, id vero vitium omnium fere, quae ſunt in rebus publicis, malorum cauſa eſt et origo.* Et tamen propter alias rationes initio profuit illa communitas, quia, vt ait Tertullianus exhort. ad caſtitatem: *Semper initia laxantur, fines contrahuntur, propterea ſyluam quis inſtituit, et creſcere ſinit, vt tempore ſuo caedat ſyluam, erat vetus diſpoſitio, quae in Euangelio nouo deputatur, idque et ſecuris ad radicem poſita eſt.* Profuit, inquam, illa communitas, quia nulla erat inuidia inter Apoſtolos, et maxima charitas ſalutis hominibus procurandae. Ratio igitur regina hominum hoc fecit, et legitime immutauit, non vt ait, Paul. lib. 7 D. de bonis damnatorum. *Ratio naturalis quaſi lex quaedem tacita eſt.* Et Tertull. lib. de poenit. *Res Dei ratio, quia Deus nihil non ratione prouidit, diſpoſuit, ordinauit, nihil non ratione tractari, intelligi vult.* Et lib. de corona militis: *Si lex ratione conſtat, lex erit omne iam, quod ratione conſtiterit, a quocunque productum ſit.*

Tertia eſt, quia illa diuiſio nullam attulit ſectionem aut imperfectionem Ecclesiae, ita, vt manſerit ſemper vna et indiuidua, licet ratione locorum et materialiter eſſet diuidua, vt oſtendimus ſupra: nam Eccleſia eſt ſimilis veſti inconſutili, quae fuit omnium ante ſortem, et ſingulorum poſt ſortem, ideoque illa diuiſio eſt potius multiplicatio Eccleſiae per partes, in cuius vnaquaque tota Eccleſia in ſolidum reperiretur, vt diximus ſupra, ex D. Cypriano: et ſicut in diuinis numerus cum vnitate reperitur; ita Chriſtus coniunxit plures Apoſtolos in Petro vno, et Petrum vnum diuiſit in plures Apoſtolos, et Eccleſia, quae erat prius omnium Apoſtolorum in commune per illud: *Quorum remiſeritis, etc.* facta eſt Petri in ſolidum per illud: *Paſce oues meas*, et denuo obnoxia communi diuidundo, vel familiae erciſcundae iudicio, ſortitione prouinciarum; voluit enim Chriſtus Eccleſiam ad vnum reduci, et de vno deduci, et Eccleſiam de Eccleſia fieri ſine diminutione, et manere vnam ſemper atque indiuiduam, vt dicimus, lumen de lumine, et corpus de corpore, in Euchariſtia. Nam vt recte Nicephorus ad Leonem Papam: *Sicut in Chriſto ſecundum hypoſtaſin, aliud ad aliud coniungitur, nempe natura Diuina ad humanam, nec tamen ſit alius et alius Chriſtus, ita Eccleſia, non eſt alia, licet ſit alius et alius Epiſcopus.*

Quarta ratio eſt, quia diuiſio illa facta eſt ſuadente et ſuggerente Spiritu Sancto; Eccleſiae enim ordo et gubernatio citra contradictionem per Spiritum Sanctum peragitur, teſte D. Baſil. de

Spiritu Sancto, cap. 16. Et D. August. serm. 186. supra citato. Ita, vt, quod licitum erat Apostolis promiscue in primo statu, vt baptizare, ordinare, praedicare, iam non promiscue licitum sit Episcopis can. 5. 21. q. 1. ex concilio Trid. sess. 23. c. 15. quod mirum nemini potest videri. Nam, vt ait Clem. Alexandr. lib. 1. paedagogi, c. 8. *In paedagogia Christi magna est sapientia, et varia est eius administrationis ratio ad salutem.* Et lib. 2. c. 4. *Verbum Dei se accommodat, et reddit conforme temporibus, personis, locis.* Imo, vt ait D. Bernardus ep. 276. ad papam Eugenium: *Ordinatissimum aliquando est minus, interdum aliquid ordinate fieri.* Quomodo sane ordinatissimum dici potest illud, tunc ordinem non seruasse Apostolos aliquo tempore in conuertendis gentibus ad fidem. Et sane Christus in Ecclesiae suae constitutione videtur eo modo se gessisse, quo in mundi multiplicatione: nam, sicut dixit initio mundi: *Crescite et multiplicamini, et replete terram*, posteaque illud praeceptum reduxit ad vsum legitimum; vt recte notat D. Athanas. ad Ammam Monachum, et Tertull. exhort. ad castit. vbi dixit: *Quod per aliam vocem abolescit, crescite illud et multiplicamini.* Ita initio quidem nascentis Ecclesiae, dixit Christus: *Praedicate Euangelium omni creaturae*, quasi illud crescite et multiplicamini, postea vero dixit: *Ne transgrederentur terminos alienos.* Ita, vt conconcludere possimus et dicere cum D. Athanasio loco citato ad Ammam Monachum: *Quod idem, quodcunque id sit, in aliquo quidem et in tempore non licet, in aliquo autem opportune permittitur, ac conceditur.* Nam, vt recte Iustinus martyr quaestione, et responsione 27. *Multa sunt in Scriptura, quae non imputat Deus tanquam peccatum iis, qui illa transgrediuntur propter eam, quae interuenit, necessitatem.* Immo, vt ait Oecumenius in 2. ad Corinthios: *Ipsa lex plerumque sui ipsius complectitur abolitionem*, ὁ νόμος τὴν ἑαυτοῦ καταργῆσιν περιέχει, et ipsemet Christus dando Apostolis potestatem ligandi et soluendi, ostendit eam restringi potuisse, quando ipse restrinxit, aut suspendit ad tempus, praecipiens eis, vt nondum inter gentes eam exercerent, sed in Iudaea tantum, quod signum etiam est, iurisdictionem seu potestatem illam distinctam fuisse a charactere, et obnoxiam limitationi, cui obnoxia non est potestas characteris. Et D. Chrysostomus obseruauit quoque lib. 3. de Sacerdotio: *Quod D. Paulus, ne concessa quidem a Christo potestate vtendum sit vbique, aliquando iudicauit, vt, ne quis eorum, qui fidem suam Christo obstrixissent, offenderetur.* Et possunt illa omnia confirmari exemplo. Nam, sicut *libertas est facultas eius, quod cuique facere libet, nisi, si quid vi aut iure prohibetur.* Instit. de iure personarum; similiter dici potest, quod potestas ordinis est facultas soluendi, atque ligandi, nisi vi aut iure prohibeamur, quae exceptio locum habet in exercitio omnium potestatum.

Quinta, quia illa diuisio fuit non tantum vtilis, sed etiam necessaria, vt recte Zonaras in canones synodi Carthaginensis: *Vtile enim est*, ait, *Ecclesiae* hoc est, *fidelibus*, *Episcopos constitui, vtilitate videlicet necessaria*, ἄν τι τοῦ χρειώδης ἀναγκαία. Et D. Basil. ep. 406. supra citata. Et D. Paulus dicebat recte 1. ad Corinth, 11. *Diuisiones ministrantium debere esse in Ecclesia:*

Sexta eſt, quia ſi totus orbis fuiſſet ſub vno paſtore, non omnes potuiſſent agnoſcere, vel etiam audire eius vocem; nec ipſe omnes oues agnoſcere, quod tamen eſt neceſſarium, vt Chriſtus ipſemet dicebat de ſe, quia ratione vtebatur Paſchalis Papa ep. ad Henricum I. Angliae regem: *Quomodo vel agnos, vel oues paſcere poſſumus, quos neque nouimus, nec vidimus, quos neque audiuimus, nec ab ipſis audimur.*

Septima eſt, quia, cum Apoſtoli et omnes Clerici in ordinatione ſua in haereditatem domini aſſumantur, vel adſequantur haereditatem in ipſo, ideo dicti Clerici ἀπὸ τε κλήρε - - - id eſt a ſorte, vt annotauit Innocentius 3. c. 16. de praebendis non fuit a ratione alienum illos eam haereditatem conſequi, ad inſtar eorum, quibus aliquid teſtamento relictum eſt: certum enim eſt, verbi gratia, collegatarios coniunctos concurſu partes facere, et interim dum non concurrunt, non facere: nam ſimiliter cum conjuncti eſſent a Chriſto Apoſtoli in primo ſtatu Eccleſiae, concurſu et ſortitione Eccleſiarum facta in tertio ſtatu quodammodo partes fecerunt, et diſtinxerunt rem communem, in qua partem quisque antea habebat, vt non amplius habeat, niſi illam quam ſortitus eſt, excepto Petro.

Octaua eſt, vt oſtenderetur miraculum Eccleſiae, quod ſupra retulimus; diximus enim Eccleſiam eſſe vnam et eandem in pluribus, quemadmodum Corpus Chriſti eſt vnum et idem in multis, vt ſupra probauimus.

Nona eſt, vt ſi Eccleſia per diuerſas Eccleſias eſſet vnum corpus conflatum ex pluribus membris, vt colligitur ex D. Baſilio ep. 70. *Dominus noſter JEſus Chriſtus, quoniam omnem Eccleſiam Dei ſuum ipſius Corpus nominari ſuſtinuit, et vnumquemque noſtrum alterius membrum declarauit, dedit quoque nobis, vt erga omnes iuxta membrorum conſenſum amiee ſimus affecti, atque etiamſi habitationibus ſimus alter ab altero quam longiſſime diſſiti, ae dirempti, ratione tamen coniunctionis huius propinqui ſimus inuicem, quoniam igitur pedibus caput non poteſt dicere, non eſtis mihi neceſſarii, plane neque vos amicitiam nobis renunciare ſuſtuliſtis.* Et ep. 69. vbi oſtendit neceſſariam huius corporis ſtructuram.

Decima, quia cum Eccleſia creuerit, et late ſuam fidem porrexerit, ea non potuit ab vno paſtore regi in particulari: nam cum regimen Eccleſiae, et omne aliud regimen ſit facti, non tantum iuris, et quod facti eſt vbique terrarum, praeſtare non poſſit vnus aliquis homo, ac proinde nec Petrus potuiſſet, nec Papa hodie poſſit ſolus facto regere Eccleſiam; neceſſe fuit conſtitui ſingulares Epiſcopos, et hoc eſt, quod voluit dicere Innocentius cap. 3. de poſtulatione, cum agnoſcit ſe non poſſe in Hungaria conſtituere Epiſcopum ſine conſcientia peccati, ſcilicet propter diſtantiam locorum, quae facit, vt homines non agnoſcat, ita vt Papa non videatur poſſe ſine peccati periculo praetendere directionem particularem cuiuscunque Eccleſiae, vel nullis in ea poſitis Epiſcopis, vel prohibendo, ne quid agant ſine eius licentia, vel ignotos omnino homines in ea conſtituendo.

CAPVT VLTIMVM.

Conclusio operis et admonitio ad lectorem.

Peruenisse me nunc existimo; ad finem, qui mihi initio huius libri fuerat propositus, ostendi enim, quaenam esset vera differentia inter Petrum et alios Apostolos, et quis verus status Ecclesiae tempore illorum. In quo licet a communi et vulgari opinione doctorum recesserim, recessisse magna cum ratione probaui; nam cum scriptores in ea difficultate quaesiuissem exploratiores, virosque praeter alios doctos, inueni eos nihil nisi involucra sensuum, vocumque turbas fundere. Ego vero illa omnia tam plene, ordinate, perspicue, familiariter et authentice pertractaui, vt nec aliquid omiserim, nec implicarim, nec suspenderim, sed erudierim plane atque singula demonstrarim: nec mirum, si aliquando homines diu in aliquo errore versentur; erratum namque commune vix agnoscitur, et vix corrigitur, si quae enim apparens et eminens opinio se offerat, licet effigies eius non sit pura, nec vera, nec perlucida; ea tamen prompte sumitur et sero dimittitur; difficultas enim scientiarum non solum inducit imperitos in errorem, sed, quod prius est, disertam plerumque reddit eorum ignorantiam. Erant vero et aliae quaestiones huic proximae, de Episcopis et Presbyteris Ecclesiae, an quomodo illi successerint Apostolis, et isti discipulis, et an vi ordinationis suae possint cum effectu quemlibet in qualibet Ecclesia non requisita proprii Sacerdotis sententia absoluere; sed quod nunc agebam, prius stabiliendum fuit, quod si videro, vobis placere hoc fragmentum maioris cuiusdam operis, caetera vrgebo. Dixi fragmentum, nam generaliter verum est, nos artium habere et scientiarum potius fragmenta quaedam, vsibus vitae nostrae inspersa, quam artes totas, quod ignis Promethei hinc inde dispersus olim velut in aenigmate repraesentabat. Sicut enim fauillae illius ignis passim dispersae sunt; ita et artium particulae quaedam in minuta frustra diuisae, a Deo hominibus sunt tributae; vnde videmus saepissime magistrum, non discipulum esse prioris posteriorem diem, et veritatem temporis filiam, non continuo, sed identidem, ac identidem e puteo suo emergere: dixi maioris operis, nam mihi proposui aliquando decretum Gratiani et decretales Gregorii noni, multa in iis vel supplendo, vel explicando, vel emendando in artem redigere, quod quantum sit opus, et quam vtile ac compendiosum ad nostram doctrinam celeriter addiscendam, nemo est, qui cogitans non statim intelligat, egoque perterreor referens, an nisi me Ecclesiae amor, aut quorundam summorum virorum et Episcoporum fauor aut Dei gloria ad id efficiendum excitaret, a tanto conatu facile desisterem; sed his tribus adminiculis adiutus, vt iam plurima in iis dilucidaui, et diiudicaui, spero, quod caetera Deo iuuante perficiam, quapropter vos etiam atque etiam rogo, vt faueatis, et quemadmodum sternutantibus omnes bene precantur, ita etiam vos idem honesta agredientibus faciatis; rogo insuper, vt me hanc et omnes lucubrationes meas, sine ulla contumacia Ecclesiae summittere credatis.

DIONYSII PETAVII

AVRELIANENSIS

E SOCIETATE IESV

DISSERTATIO

DE

EPISCOPIS,

ET EORVM

IVRISDICTIONE AC DIGNITATE.

AD CATHOLICVM
ET ERVDITVM
LECTOREM.
PRAEFATIO.

Superiore anno cum priorem ad Timotheum Pauli epistolam auditoribus enarrarem meis, ac de Episcopis, et Presbyteris, nescio, quid commentarer, cuius inde pertractandae quaestionis occasio esse solet, allata est in hanc vrbem Lugduni edita Batauorum Dissertatio de foenore Trapezitico *comprehensa libris tribus. Hanc cum in manus sumsissem, reperiebam μεῖζον illic ἔργου esse τὸ πάρεργον: ac plurima interspersa rerum Ecclesiasticarum, et diuinarum capita, quae passim alieno tum loco, tum instituto, Operis illius Auctor inseruerat. Inter haec vero mihi in oculos incurrit de eodem illo, quod meditabar, argumento satis longa disputatio, qua id probare satagit, nullum ab origine prima, vetustisque, et Apostolicis Ecclesiae temporibus, ac deinceps diu fuisse discrimen Episcopos inter, et Presbyteros. Accedunt et alia eiusdemodi complura, quae partim ad minuendam, et labefactandam amplissimi illius ordinis dignitatem, auctoritatemque spectant; partim aduersus alia comparantur Catholicae religionis, ac fidei dogmata. Non enim tecte, ac dissimulanter Scriptor iste grassari, et catholico nomini bellum instituit facere, sed palam et aperte se Romanae communionis inimicum professus, multa et in summum Pontificem, et in ordines ceteros impie iactat, ac nefarie. Huius adeo (vt quocum mihi suscepta dimicatio est, specimen aliquod hic extet) verba sunt ista in praefatione operis:* Hoc restabat scilicet *(inquit contra Theologum, nescio, quem ex eodem genere disputans)* vt etiam fermentum hic Papisticum mihi obiiceretur ab illo, qui scire potuit, ac debuit, me longissime abesse ab ista ζύμῃ. *Et alibi pag. 424.* At Romani Pontifices, vbi contemta, ac spreta paupertate et humilitate Apostolica, non solum supra collegas suos ambitio-

sum caput extulerunt, sed etiam supra ipsa concilia auctoritatem, ac potestatem suam euexerunt. *Idem illud pag. 315.*: Pontifices Romani imperio Occidentis potiti, τό βαρὺ illud φορτίον iniecerunt humeris miserorum Christianorum, pietatis ac sanctitatis praetextu, sed cui vera causa fuit potentiae suae promouendae cupido, et iurisdictionis ciuilis vsurpandae. *Mitto alia contra eundem Romanum Pontificem, et Episcopos, et minores Clericos dicta eodem veneno, ac felle oblita: quae non modo alienum ab Catholicis castris hominem demonstrant, sed hostem etiam illorum acerrimum, et quoquomodo vexare illa, et oppugnare gestientem. Sed nihil peraeque eius animum, et sectae institutum detegit, ac dispersa illa, vti iam dixi, per totum opus dogmata, vt Catholicis contraria decretis, ita Caluinianae haeresi, ac sectae consentanea.*

Quae me res adduxit, vt contra nouum hunc dogmatisten, sed Theologicarum, Ecclesiasticarumque rerum haud satis peritum, eius, cui obtrectabat ille, patrocinium causae caperem, ac selectas ex istius libro quaestiones aliquod mandarem huic lucubratiunculae, praesertim vero illam ipsam, cuius in meditatione commodum haerenti mihi Trapeziticum illud opus oblatum esse dixi.

Ab hac igitur de Episcopis et Presbyteris inquisitione disputandi sumam initium. Et primum, quid de illa priuatim ipse sentiam, exponam; Tum contra Trapezitici foenoris patronum (appelletur enim deinceps a nobis hoc nomine, ab eo titulo, quod in fronte operis inscripsit) stilum, et orationem conuertam. Huius porro mihi operae, ac studii, si nullus erit alius, certe ille constabit fructus, vt tam iste, quam similes alii Scriptores, qui de quaque re quiduis eloqui, et in lucem proferre fas esse sibi putant, id non semper impune haberi sentiant, sed ad scribendum ita parati, ac meditati esse meminerint; tanquam qui sciant de iis, quae scripserint, ac de πολυλογίᾳ sua, vicissim ἀπολογίαν, hoc est perpetuum reddendae rationis onus a se esse susceptum.

INDEX CAPITVM
DISSERTATIONI'S
DE
EPISCOPIS, ET EORVM IVRISDICTIONE, AC DIGNITATE.

C A P V T V.

Alia Trapezitae argumenta de duplici Epiſcoporum genere diſcuſſa. Pauli Apoſtoli declaratus locus. Quid ſint apud illum *opitulationes*, *et curationes*.

C A P V T VI.

Trapeziticae diſſertationis incondita ratio ad certa capita reuocatur, et excutitur. Eius repugnantia, et abſurditas. Refelluntur varii ab illo temere conſtituti gradus Epiſcoporum. Oſtenditur ex antiquorum teſtimonio Epiſcopos plenum ius ſemper in Eccleſiaſticas res habuiſſe, ac tam in praedicationem incubuiſſe, quam Eccleſiaſticis bonis praefuiſſe. Summa illorum poteſtas aduerſus Trapeziticas naenias defenditur.

C A P V T VII.

Pergitur in refellenda Trapezitae ſententia, quae Epiſcopâtum negat dignitatem fuiſſe, ſed ſolam facit curationem. Oſtenditur e contrario Epiſcopos poteſtatem ac iurisdictionem habuiſſe; tum longe Iudaicis Sacerdotibus ampliorem. Quid ſit poteſtas clauium, de qua Trapezitae falſa opinio notatur.

C A P V T VIII.

Praedicandi ius, ac functionem penes Epiſcopos fuiſſe demonſtratur aduerſus indoctum Trapezitae commentum, idque variis Patrum, ac Conciliorum teſtimoniis aſſeritur.

DE

EPISCOPIS, ET EORVM IVRISDICTIONE, AC DIGNITATE.

CAPVT I.

In quo status quaestionis exponitur. Pauli Apostoli loca quaedam, ex quibus inter Episcopos, et Presbyteros nullum fuisse discrimen videtur. Variae antiquorum in illis interpretandis sententiae, Chrysostomi, Theodoreti, Epiphanii expenduntur: ac praesertim Hieronymi, qui omnium difficillimam habent rationem.

I.

Fueritne temporibus Apostolorum distinctus ab Epicopo Presbyter, cum antiquissima est, tum non omni ex parte hactenus explicata quaestio. Difficultatem arguit opinionum de ea conflictus, nec non hominum alioqui doctissimorum, etiam veterum parum secum, et cum rei veritate congruens assertio, vt in integro propemodum adhuc posita res, locum ingeniorum exercitationi, et industriae reliquerit. De hac controuersia visum hic nobis est agere; quod idem confido fore, atque et illorum, qui in diuinas artes incumbunt, prodesse studiis, et catholicae causae pro virili parte opis aliquid, ac lucis adferre. In quo primum omnium disputationis totius, quod caput sit, et quod Graeci Τὸ κρινόμενον, vocant, exponendum videtur.

integrum reliquit. Fac enim reſpondeat, quod primum poſui: Epiſcopos, et Presbyteros adpellatos eſſe, qui nunc Epiſcopi ſunt, omnium ordinum Primates; quid Apoſtolis faciet, quos eosdem fuiſſe vult cum hodiernis Epiſcopis? An iidem et Apoſtoli, et Epiſcopi, et Presbyteri fuerunt? Id quidem conſequens eſt, ſi primum iſtud dixerit, hoc eſt, ſi Presbyteri et nomine et re iidem erant cum Epiſcopis, quos proprie nominamus. Sed eo iam erit ſibi ipſi contrarius, qui ab Epiſcopis Apoſtolos disiunxit, tum iſto ipſo, quod attulit, teſtimonio refelletur. Nam Actorum 15. 25. ſcribunt ex Hieroſolymitano concilio *οἱ Ἀπόςολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι.* Non iidem ergo erant Apoſtoli, quos tunc Epiſcopos fuiſſe putat, et Presbyteri. Sin quod eſt poſterius, eligat, vt Apoſtolos Epiſcopali gradu fuiſſe praeditos adfirmet; Epiſcopos vero, et quod idem erat, Presbyteros pro ſacerdotibus ſecundi ordinis habitos: non minus ipſe ſecum, et cum Apoſtolo pugnabit. Hic enim Epiſcopi nomen, et Epiſcopatus, in capite tertio prioris ad Timotheum, pro ſummo gradu poſuit; idque ipſe Theodoretus agnoſcit. Atqui non Epiſcopi, vel Epiſcopatus nomina, ſed Apoſtoli, et Apoſtolatus adhiberet, ſi nondum Epiſcopi ſummae dignitatis antiſtites vocati erant, ſed Apoſtoli. Quid quod Actorum 20. 17. Paulus conuocaſſe legitur *τὺς πρεσβυτέρυς τῆς ἐκκλησίας*, quos eosdem Commate 28. *ἐπισκόπυς* vocat, et Paſtores a Deo conſtitutos. Non alios ergo fuiſſe conſentaneum eſt, quam primi ordinis, adeoque quos tum Apoſtolos adpellari ſolitos exiſtimat. Prorſus itaque inextricabilis illa eſt Theodoreti ſententia, qui ſic verius dicere potuit, Epiſcopos, et Presbyteros ſummae dignitatis, hoc eſt Epiſcopalis, nomina fuiſſe: Apoſtolos autem non omnes Epiſcopos eſſe dictos, ſed eos tantum, qui aut veri erant Apoſtoli, et Epiſcopatu maiorem, et ampliorem poteſtatem habebant, aut qui praedicandi vbique Euangelii functione veros imitabantur, qualis Epaphroditus, et ſi quis alius, fuiſſe putandus eſt; falſum eſt autem Apoſtolorum nomen Epiſcopis omnibus fuiſſe commune.

III. Chrysostomus Homilia prima in epiſtolam ad Philippenſes rationem reddit, cur Paulus ad Philippenſes ſcribens, epiſtolam ſuam inſcribit *συνεπισκόποις, καὶ διακόνοις* omiſſo interiecto Presbyterorum ordine: *τι τῦτο,* (inquit) *μίας πόλεος πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν;* *Quid hoc rei eſt? an vnius ciuitatis erant plures Epiſcopi? Mox reſpondet:* *ὐδαμῶς. ἀλλὰ τὺς πρεσβυτέρυς ὕτως ἐκάλεσε. τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι. καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο* *Nullo modo*, inquit, *verum Presbyterum vocauit ſic. Tunc enim nomina inuicem communicabant, et Diaconus dicebatur Epiſcopus.* Negat plures eiusdem Epiſcopos vrbis fuiſſe, ac dicit Epiſcopos nominatos fuiſſe Presbyteros, immo etiam Diaconos. Quare videtur exiſtimaſſe Chryſoſtomus *συνεπισκόπυς* non eſſe Epiſcopos proprie dictos, ſed ſimplices Presbyteros, quos tunc Epiſcopos adpellaremos fuit. Ideo paulo poſt concludit ita: *ὅπερ ὖν ἔφην καὶ οἱ πρεσβύτεροι τό παλαιὸν ἐκαλῦντο ἐπίσκοποι, καὶ διάκονοι τῦ χριςῦ, καὶ οἱ ἐπίσκοποι πρεσβύτεροι. ὅθεν καὶ νῦν πολλοὶ συμπρεσβυτέρῳ ἐπίσκοποι γράφυσι, καὶ συνδιακόνῳ.* *Quod igitur iam dixi, etiam Presbyteri olim adpellabantur*

Episcopi, et Diaconi Christi, et Episcopi Presbyteri. Vnde nunc etiam multi compresbytero, et condiacono scribunt Episcopi. Eadem vero Oecumenius, et Theophylactus in commentariis expresserunt; quorum summa fit: Episcopos ibi vocari simplices Presbyteros, quod tunc promiscua et vtrisque communia essent nomina, vt et Episcopi vocarentur Presbyteri, et Diaconi Episcopi. Atque iis suffragatur commentarius, qui vulgo inscribitur Hieronymo, in epistolam ad Philippenses. Hic enim sic ad illum locum Epistolae istius adnotat: *Hic Episcopos, Presbyteros intelligimus. Non enim in vna vrbe plures Episcopi esse potuissent.* Et ad caput 3. epistolae prioris ad Timotheum, cur post Episcopos non meminit Presbyterorum, caussam hanc adfert: *Eos in Episcoporum nomine comprehendit, quia secundus, immo pene vnus est gradus*, quae totidem verbis in Primasii commentario leguntur.

IV. Atque idem Chrysostomus Homilia 11. in priorem ad Timotheum quaerit, cur post Episcopis data praecepta, Paulus, nulla mentione facta Presbyterorum, statim ad Diaconos transeat: ac respondet, Presbyteros idcirco praeteriri, quod eadem fere sit horum, atque Episcoporum ratio: *Τῃ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνῳ δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. Sola*, inquit, *impositione manuum superant, et hoc vno videntur excellere Presbyteros.* Quem et more suo Oecumenius, ac Theophylactus adsectantur. Horum itaque consensus omnium est, Episcoporum, ac Presbyterorum distinctos in Ecclesia fuisse ordines, et qui a Paulo Presbyteri nominantur eos, reuera Sacerdotes fuisse simplices, qui et Episcopi vocabantur. Chrysostomo ita sentiendi, interpretandique caussam dedit vetus Ecclesiae mos, ac disciplina canonum sancita decretis, quae vnicum in quaque ciuitate constitui Episcopum iubebant, vt est in canone octauo Nicaeni Concilii.

Verum huic sententiae obstat ille Actorum vicesimi capitis locus, ex quo efficitur, in Ephesina Ecclesia plures fuisse Episcopos. Nam Miletum cum pervenisset, mittens Ephesum *μετεκαλέσατο τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας.* Atqui Presbyteri illi vere erant Episcopi, vt eos vocat commate 28., tum inde patet, quodsi meri Sacerdotes fuissent, summi antistitis, hoc est, Episcopi inter ipsos vtique meminisset, eique potissimum commendasset Ecclesiam. Ad haec in Epistola ad Titum, Capite 1. 5. ait, se Titum in Creta reliquisse, vt constituat per ciuitatem quamque Presbyteros, quos quidem commate 7. vocat Episcopos, et 9 sane proprie dictos; vt ex eo colligas, quod eiusdem plane sunt generis, cuius illi, de quibus capite tertio prioris ad Timotheum meminit. Siquidem eadem formula, et iisdem propemodum verbis de illorum* institutione praecipit. Igitur Presbyteri nonnunquam Episcopi veri dicti sunt, et in eadem ciuitate plures exstiterunt.

V. Epiphanius in Haeresi 75, quae est Arianorum, N. V. nodum illum, qui ex Apostoli locis oritur, ita dissoluit: cum adhuc recens esset, inquit, Christiani dogmatis praedicatio, non vbique Presbyteri simul et Episcopi creabantur, sed alibi soli Presbyteri, alibi Episcopus duntaxat. Vbi enim nemo dignus Episcopatu reperiebatur, Presby-

teri conſtituebantur, per quos et Diaconos Eccleſiae regerentur, quae ſine duplici hoc ordine conſtare nequeunt. At vbi vnus tantummodo ad Epiſcopatum idoneus occurrebat, neque plurium erat copia, quibus Presbyteratus mandaretur, tum ſolus adhibebatur Epiſcopus. Quare Apoſtolus pro re nata, et vt ſtatus erat earum Civitatum, et Eccleſiarum, ad quas ſcribebat, ita loquebatur: Νέου ὄντος τοῦ κηρύγματος, πρὸς τὰ ὑποπίπτοντα ἔγραφεν ὁ ἅγιος Απόστολος, ὅπου μὲν ἦσαν ἐπίσκοποι οὐ δηκατασταθέντες, ἔγραφεν ἐπισκόποις, καὶ διακόνοις, οὐ γὰρ πάντα εὐθὺς ἠδυνήθησαν οἱ ἀπόστολοι καταστῆσαι. Πρεσβυτέρων γὰρ ἐγίνετο χρεία, καὶ διακόνων. διὰ γὰρ τῶν δύο τούτων τὰ ἐκκλησιαστικὰ δύναται πληροῦσθαι, ὅπου δὲ οὐκ εὑρέθη τις ἄξιος ἐπισκοπῆς, ἔμεινεν ὁ τόπος χωρὶς ἐπισκόπου. ὅπου δὲ γέγονε χρεία, καὶ ἦσαν ἄξιοι ἐπισκοπῆς, κατεστάθησαν ἐπίσκοποι. Πλήθους δὲ μὴ ὄντος, οὐκ εὑρέθησαν ἐν αὐτοῖς πρεσβύτεροι κατασταθῆναι, καὶ ἠρκέθησαν ἐπὶ τῷ κατὰ τόπον μόνῳ ἐπισκόπῳ. Haec Epiphanii narratio vera eſt ipſa quidem (credo enim, pro multitudine populi plures, paucioresve ſacrorum inſtitutos miniſtros, ac nonnunquam ſolum impoſitum Epiſcopum ibi, vbi grex puſillus erat, atque aucto numero, praeter Epiſcopum, complures adiunctos eſſe Presbyteros) ſed loca illa, quae adduximus, Pauli nobis aliud perſuadent. Etenim in clariſſimis, et frequentiſſimis Aſiae ciuitatibus, in quibus Chriſtianorum erat maxima multitudo, non eſt veriſimile, tantam eorum fuiſſe penuriam, qui vel Epiſcopatum gerere, vel Presbyteri fieri poſſent: tum ſi quis accurate verba ipſa perpendat, cognoſcet, aliam facti illius, et inſtituti rationem eſſe quaerendam.

VII. Sed praecipuum quaeſtionis momentum, ac diſputationis totius facit Hieronymus, qui imprimis Epiſtola 85. ad Euagrium cuiusdam vecordiam arguens, qui Diaconos Presbyteris auderet anteferre, multa de Presbyterorum dignitate diſſerit, ac pares illos, et eosdem facit cum Epiſcopis, idque iisdem, quibus nos vſi ſumus, teſtimoniis confirmat, adiuncto quoque Petri loco primae Epiſtolae Capite 5. vbi et ſe Presbyterum adpellat, et quos alloquitur, Presbyteros primi ordinis eſſe demonſtrat. Tum iſta ſubiicit Hieronymus: *Quod autem poſtea vnus electus eſt, qui ceteris praeponeretur, in ſchismatis remedium factum eſt, ne vnusquisque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet. Nam et Alexandriae a Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam, et Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant, quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium nouerint, et Archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Hoc loco S. Hieronymus, Epiſcopos pari eſſe dignitate, ac Presbyteros affirmat, niſi quod communi conſenſu vnus aliquis e numero Presbyterorum electus eſt, qui maiori in gradu collocaretur. Tribuit tamen Epiſcopo ordinandi facultatem, quam Presbyteris adimit. Quin etiam quod Paulus in epiſtola ad Timotheum, et Titum, poſtquam de Epiſcopis egit, ſtatim ad Diaconos labitur, omiſſis Presbyteris; id eodem modo explicat Hieronymus, ac Chryſoſtomus fecit: *Presbyter*, inquit, *et Epiſcopus aliud aetatis, aliud dignitatis eſt nomen. Vnde ad*

Titum, et Timotheum de ordinatione Episcopi, et Diaconi dicitur, de Presbyteris omnino reticetur, quia in Episcopo et Presbyter reticetur. Quare eadem, quae supra objecimus, contra Hieronymi interpretationem valent, quo minus ad Apostoli mentem faciant.

VII. Idem in Commentariis ad primum caput Epistolae ad Titum, etiam disertius sententiam suam aperit, verba illa declarans: *Hujus gratia reliqui te Cretae, vt ea, quae deerant, corrigeres: et constituas per ciuitates Presbyteros etc. Idem est ergo Presbyter,* ait, *qui et Episcopus. Et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephae, communi Presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur. Postquam vero vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur.* Mox probat Episcopum, et Presbyterum vnum esse, et aliud aetatis, aliud esse nomen officii, ex Epistola Pauli ad Philipppenses, vbi Apostolus scribit ad Episcopos, et Diaconos. *Philippi vna est vrbs* (ait) *Macedoniae, et certe in vna ciuitate plures, vt nuncupantur, Episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos et Presbyteros adpellabant, propterea indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris est locutus.* Addit et locum alium ex Actorum capite 20. vbi Apostolus conuocasse legitur Presbyteros Ephesinae Ecclesiae, quos statim vocat Episcopos, tum quod Petrus epistolae canonicae primae Capite 5. 1. vocat se *compresbyterum Presbyterorum, tum pascite,* inquit, *eum, qui in vobis est, gregem Domini etc. Haec propterea,* (ait Hieronymus) *vt ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos et Episcopos: paulatim vero, vt dissensionum semina euellerentur, ad vnum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subiectos; ita Episcopi nouerint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicae veritate, Presbyteris esse maiores.* Denique in Epistola 83. ad Oceanum: *Apud veteres,* ait, *iidem Episcopi, et Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis est, hoc honoris.*

VIII. Hieronymo suffragari videtur Ambrosius, siue quis alius auctor commentariorum in epistolam ad Ephesios, qui Ambrosii tempore aequalis fuit. *Nam et Timotheum,* ait ad caput 4. 2. *Presbyterum a se creatum, Episcopum vocat, quia primum Presbyteri Episcopi adpellabantur, vt recedente vno, sequens ei succederet. Denique apud Aegyptum Presbyteri consignant, si praesens non sit Episcopus. Sed quia coeperunt sequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente concilio, vt non ordo, sed meritum crearet Episcopum multorum Sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temere vsurparet, et esset multis scandalum.*

Hactenus igitur ex antiquorum auctoritate conficitur, primis temporibus Presbyterorum, et Episcoporum non tantum appellationes, sed etiam ordines, in easdem concurrisse personas; iidem vt essent vtrique; postea vero nomine tenus idem fuisse, vt etsi promiscua Episcoporum, ac Presbyterorum interdum essent

nomina, aliquis tamen ex ordine illo, ac numero deligeretur, qui dignitate antecelleret omnes, iisque praeesset, et Epicopus proprie diceretur. Quod autem ex eo concludunt aliqui, nullum ergo vel esse discrimen inter ordines amborum, vel Apostoli saltem fuisse tempore; id falsum esse, tum intelligi poterit, cum Apostoli sententiam exposuero, et alia quaedam eodem spectantia, quibus error ipse redarguetur. De Apostolo itaque, vnde fons quaestionis oritur, primo loco disputemus.

CAPVT II.

Explicantur loca illa antecedenti proposita capite. Presbyteros initio eosdem Episcopali dignitate praeditos fuisse; sed perbreui tempore, idque cur factum sit. Episcopos eodem interuallo, itidem vt deinceps in singulis ciuitatibus singulos praefuisse

I. Si quis omnia illa Scripturae loca diligenter expendat, quae superiori capite proposita sunt, id necessario consequens ex illis esse statuet, eos ipsos, qui ibi Presbyteri vocantur, plus aliquid, quam simplices fuisse Presbyteros, cuiusmodi hodieque sunt; nec dubitabit, quin Episcopi fuerint iidem, non vocabulo antum, sed re etiam, ac potestate. Hoc vero qua ratione contigerit, potest hunc, nisi fallor, in modum probabiliter explicari.

Igitur primis illis Ecclesiae temporibus, quae, quod ad formam, et disciplinam attinet, quaedam illius infantia dici queunt, existimo, Presbyteros vel omnes, vel eorum plerosque, sic ordinatos esse, vt Episcopi pariter, ac Presbyteri gradum obtinerent. Id eo fieri solitum esse verisimile est, quod, cum religio Christiana progressionem indies faceret, perque ciuitates, et populos propagaretur, increbrescente multitudine, opus fuit, paratam esse copiam Episcoporum, qui ad vrbes, et prouincias Christiano partas nomini cum potestate mitterentur, vt ea, quae a solis Episcopis administrabantur, praestare possent; cuiusmodi sunt Clericorum ordinatio per manuum impositionem, confirmationis Sacramentum, et alia quaedam, quae simplices Presbyteri non attingebant. Hac de causa videntur plures in eadem Ecclesia, velut Ephesina, Episcopi fuisse, qui Apostolis, tanquam maioris gradus Pontificibus, adeoque summis, obsequebantur. Hoc tum simplices recens ortae mores Ecclesiae ferebant: nondum ambitione, et honorum cupiditate, malisque ceteris artibus, deprauatis Christianorum animis. Posteaquam vero pristina illa charitas, et imitandi Christi, amplectendaeque modestiae, et humilitatis refrixit amor: tum, quod Hieronymus scribit, ad tollendas simultates, et *in schismatis re-*

medium, vnum aliquem e turba Presbyterorum eligi placuit, qui praeeſſet reliquis; atque ita deſiere pari non ſolum dignitate, ſed etiam ordine, ac poteſtate plures creari, translata in vnum tam honoris, quam functionis praerogatiua. Quo circa nunquam non fuit in Eccleſia poteſtatum, graduumque diſcrimen, hoc eſt Epiſcopatus, et Presbyteratus ſimplicis, ſed in eadem capita paſſim ambo conferebantur. (a)

II. Haec noſtra de graui, ac perdifficili quaeſtione ſententia eo plauſibilior eſſe debet, quod et dubitationem, ac controuerſiam praecidit omnem, et ab ipſamet Scriptura, illisque teſtimoniis, quae anſam nobis diſputandi praebuerunt, pene in manus, atque ob oculos iniici videtur. Etenim Presbyteros appellatos eosdem, et Epiſcopos fuiſſe ab Apoſtolis Petro, atque Paulo, illorum ex verbis efficitur; nec minus etiam iſtud, quos Presbyteros vocant, iis, Epiſcoporum quae ſunt propria, conuenire; imprimis autem ordinationem per impoſitionem manuum, et Eccleſiae gubernationem, quae eſt principum, paſtorumque praecipua, quos Epiſcopos dici omnes intelligunt. Hoc ſic eſt ita, quid aliud reſtat, niſi vt penes eosdem (nam plures vna in Eccleſia fuiſſe tales, iisdem ex locis argumentum ducitur) tam nomen illud duplex, quam conueniens nomini poteſtas, et auctoritas vtraque fuiſſe dicatur? Quo conſtituto, iam illa vacant omnia, quae et nobis ipſis, et aduerſus quorundam interpretationes Pauli locorum illorum, obiiciebamus antecedenti capite. Neque, qui praecipuus debet eſſe fructus diſputationis huius, perturbatio illa ſequitur amborum in Eccleſia ordinum, quae πολυαρχίαν, immo ἀναρχίαν illam peperit, quam Caluinianorum, ac Puritanorum factio iam pridem aſciuit, et inuehere porro eo, vbi non eſt, omni arte, ac contentione molitur.

III. Atque, vt eiusmodi prima adminiſtrationis Eccleſiaſticae rudimenta fuiſſe, planum eſt ex iis, quae dixi: ita neque perpetua, neque diuturna fuerunt, ſed ſubinde ad eam, quae deinceps obtinuit, translata formam, vt vnus in quaque ciuitatis Eccleſia eſſet Epiſcopus, qui et Presbyter interdum appellabatur, Presbyteri vero ſub vno illo complures, qui nominari Epiſcopi deſiiſſent. Quod vt certiſſimum eſt, paulo poſt Apoſtolorum Petri ac Pauli obitum, vbique per totum Chriſtianum orbem vſu eſſe receptum; ita illis ipſis ſuperſtitibus, adeoque non multo poſt Chriſti aſcenſionem, obſeruari coepiſſe quibusdam in Eccleſiis, haud vanis documentis colligitur. Vtriusque, ſed prioris maxime, fidem faciunt tam Scriptura ipſa, quam vetuſtiſſimorum Patrum, qui Aopoſtolorum ſaeculo vixerunt, aut non multo poſt extiterunt, praeclara teſtimonia.

Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi, cap. 2. iuſſu domini ad Epiſcopos ſeptem totidem Eccleſiarum ac ciuitatum in Aſia ſcribit ſub Angelorum nomine, vt vul-

(a) Probat hoc Petauii ſyſtema P. Mamachius T. IV. *Origin. et antiquit. Chriſtian.* p. 337. *ſeqq.* monetque hos ſecundo, tertioque ſaeculo *Epiſcopos Nationum* fuiſſe adpellatos, qua de re Photius, Cod. XLVIII. Vide Thomaſinum *de nou. et vet. Eccleſ. diſcipl.* T. I. lib. I. cap. 54.

go interpretes conſentiunt; nempe Epheſi, Smyrnae, Pergami, Thyatirorum, Sardium, Philadelphiae, Laodiceae. Ergo Epiſcopi tunc erant in Eccleſiis ſinguli. Hoc ipſum teſtantur perpetuae ſucceſſiones Epiſcoporum in plerisque ciuitatibus, memoriae ab antiquis, et fide digniſſimis auctoribus proditae, quarum exordium ab ipſo Chriſtianae religionis initio deducitur. Egeſippus apud Euſebium lib. 2. hiſtoriae, cap. 23. ex eoque Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cap. 4. referunt, Iacobum fratrem domini, ſtatim poſt paſſionem Chriſti, ab Apoſtolis ordinatum fuiſſe Hieroſolymorum Epiſcopum. Marcus item Alexandriae Epiſcopus fuiſſe perhibetur, eique Neronis octauo anno mortuo ſucceſſit Anianus, vt iidem Euſebius, et Hieronymus affirmant. In eorum Chronico, et in illius Hiſtoriae Eccleſiaſticae libro praecipue tertio, quarto, et quinto Epiſcoporum catalogus deſcriptus legitur, qui inde ab Apoſtolicis temporibus, diuerſis in Eccleſiis propagatus eſt. Velut Antiochiae poſt Petrum Euodius, poſt hunc Ignatius, qui et ipſe paſſim in epiſtolis ſuum cuique ciuitati Epiſcopum praefuiſſe demonſtrat, ac totus in id incumbit, vt Presbyteros, Diaconos, ceterosque Clericos, et Laicos hortetur, vti Epiſcopum ſuum ament, et obſeruent, eique tanquam Chriſto pareant, ac nihil illius iniuſſu faciant. De quo rurſus agemus poſtea. Eſt apud Euſebium libro tertio, cap. 23. memorabilis hiſtoria ex Clemente Alexandrino petita, de Ioanne Euangeliſta, qui ad vrbem quandam Aſiae veniens eius Epiſcopo commendauit adoleſcentem illum, qui deprauatis poſtea moribus graſſatorum dux factus, ab eodem Apoſtolo non ſine admirabili charitatis exemplo recuperatus eſt.

IV. Quid quod Hieronymus ipſe, qui Presbyteros cum Epiſcopis exaequare maxime videtur, in illis ipſis, quae ſupra poſui, verbis oſtendit, inſtitutum illud vnius per ſingulas Eccleſias creandi Epiſcopi Apoſtolorum aetate coepiſſe? Tunc enim ſuſceptum id eſſe ſcribit, cum per populos audiri coeptum eſt: *Ego ſum Pauli*, *ego Apollo* etc. quod ad Corinthios ſcribens Apoſtolus, per id tempus apud illos iactatum fuiſſe quaeritur. Addit etiam Alexandriae deinceps a Marco Euangeliſta vnum poſt alterum Epiſcopos Eccleſiam illam adminiſtraſſe. Quamobrem non eſt dubium, quin Presbyterorum illa multitudo, quae pro Epiſcopo ſe geſſit, et, vt res ipſa docet, Epiſcopalem ordinem ac poteſtatem habuit, breui poſtea in ſimplicis ſacerdotii gradum, ac dignitatem, et functionem redacta, vni per ſingulas ciuitates Epiſcopo locum dederit. Ac veriſimile eſt, non vbique, ſed certis duntaxat in locis, pro eo atque opportunum erat, plures illos eſſe collocatos Epiſcopos. Nec minus tamen eosdem ſingulares, ac ceterorum principes, Epiſcopos Presbyteros appellatos fuiſſe, ex antiquis patet; velut ex Irenaeo, cuius fragmentum citat Euſebius libro hiſtoriae 5. cap. 25. vbi Romanos Pontifices Presbyteros nominat. Omnino ad id, de quo agimus, in promtu eſt habendum, quod prudenter animaduertit Epiphanius in eo loco, quem ſuperiori capite commemorauimus, ex Haereſi LXXV. num. V. Non omnia, prout cupiebant, per haec tempora Apoſtolos ordinare potuiſſe, neque ritus omnes Eccleſiaſticos, et adminiſtrationis legitimae modum explicare; quod breui poſtea praeſtiterunt.

CAPVT III.

Conciliatur Hieronymi sententia cum Catholico dogmate. Multum ab Aerianis, et Haereticis aliis illum absfuisse. Michaelis Medinae falsa opinio, tam ipsum, quam plerosque alios veteres foedissimi erroris insimulantis.

. Ex hac, quam caput antecedens exposuit, interpretatione locorum Apostolicorum, conciliari cum vera, et Catholica professione potest Hieronymi sententia, quae omnium impeditissima videtur. Iam enim intelligimus, Presbyteros illos antiquiores nihilo fuisse inferiores Episcopis, atque ex suo corpore vnum aliquem elegisse, qui praeesset omnibus, vt schismati obuiam iretur. Porro inter vtrumque ordinem, Presbyterii et Episcopatus, multum interesse, non ignorauit Hieronymus, sed palam adseruit, dum *ordinationem*, id est, ordinandorum ius clericorum, solis adsignauit Episcopis. *Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus*, inquit, *quod Presbyter non faciat ?* vbi verbum, *faciat*, δυνητικῶς accipiendum est, vt sit idem atque, *quod facere non possit*. Nam alioqui multa erant alia, quae soli faciebant Episcopi, Presbyteris vero iure ordinario erant interdicta, cum extra ordinem interdum ea facerent, neque, quominus facere possent, si ita necessitas ferret, praesertim ex Episcopi mandato prohiberentur. E quibus vnum illud referam, quod notissimum fuit Hieronymo, confirmationis Sacramentum. Hoc enim ab solis Episcopis administratum fuisse demonstrat in libro contra Luciferianos : *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, vt ad eos, qui longe in minoribus vrbibus per Presbyteros, et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* Item *Quod si hoc loco quaeris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum Sanctum.* etc.

II. Atqui ignorare non potuit Hieronymus, quibusdam in locis, absente Episcopo, Presbyteros idem illud Sacramentum Confirmationis dedisse, quod de Aegypto testatur Commentarius, qui Ambrosio tribuitur, in epistolam ad Ephesios : cuius ante meminimus. Quin etiam constat, olim solos Episcopos ordinario iure tam baptismum, quam poenitentium reconciliationem ad ministrasse, quod vtrumque tamen Episcopi iussu Presbyteri, immo, et quod ad baptismum attinet, Diaconi faciebant (*a*). Sed

(*a*) De Baptismo alia sunt S. Ignatii *in epistola ad Smyrnenses*, Tertulliani *de Baptismo* C. XVII. Siricii Romani Pontificis *Epist. X. T. I. Epist. Rom. Pontif. a Coutantio editarum* testimonia, quae Hieronymi dicta confirment. De reconciliatione vero Poenitentium praesto sunt canones duo Carthaginensis II. Synodi an. 390. habitae, tertius, inquam, et quartus, quos canone XXXII septem post annis tertia synodus Carthaginensis confirmauit.

ſed et Hieronymus ibidem: *Inde venit*, inquit, *vt ſine Chriſmate, et Epiſcopi iuſſione, neque Presbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi.* Cum igitur ſolam Hieronymus ordinationem, id eſt χειροθεσίαν excipit, cuius Epiſcopi duntaxat ius habeant, cum cetera communia iis ſint cum Presbyteris, de eo iure loquitur, quod ne extra ordinem quidem vſurpare poſſint Presbyteri. Alioqui ſi de eo, quod ordinarie tantum geritur, loqui vellet, non ſolam ordinationem attribueret Epiſcopo, ſed alias multas functiones, quas extra neceſſitatem, et ordinario iure Presbyteri nunquam attingerent. Quocirca ſenſit Hieronymus, a ſolis Epiſcopis ordinationes fieri, adeoque latum inter ambos ordines diſcrimen agnouit; nec aliud, quam quod Epiphanius haereſim illam, quae iſtos confundebat, oppugnans in medium attulit. Fuit iſte Aerius haereticus, qui Epiſcopum nihilo pluris eſſe, quam Presbyterum, aſſerebat. Cuius *amentiam* (ita enim loquitur) redarguens Epiphanius non alio vtitur argumento, quam quod ex Hieronymo retuli. *Ὅτι μὲν ἀφροσύνης ἐςὶ τὸ πᾶν ἔμπλεον, τοῖς συνέσιν κεκτημένοις τȣ̃το δῆλον τὸ λέγειν αὐτὸν ἐπίσκοπον, καὶ πρεσβύτερον ἴσον εἶναι καὶ πῶς ἔςαι τȣ̃το δυνατόν; ἡ μὲν γάρ ἐςι πατέρων γεννητικὴ τάξις. Πατέρας γάρ γεννᾷ ἡ ἐκκλησία. ἡ δέ πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾷν, διά τῆς τȣ̃ λȣτρȣ̃ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ ȣ̓ μὲν πατέρας, ἢ διδασκάλȣς. καὶ πῶς οἷ ον τε ἦν τὸν πρεσβύτερον καθιςᾷν μή ἔχοντα χειροθεσίαν θȣ̃ χειροτονεῖν*; hoc eſt: *Eſſe vero plenum iſtud amentiae, prudens quisque cognoſcit, quod nimirum ait, eundem eſſe Epiſcopum cum Presbytero, et aequalem vtrumque. Verum quinam id fieri poterit? Siquidem Epiſcopatus ordo eſt, qui patres gignit: quippe patres Eccleſia generat: ac Presbyter, cum patres non poſſit gignere, filios generat per lauacrum regenerationis, non tamen patres, aut magiſtros. Quomodo ergo fieri poſſet, vt is Presbyterum ordinaret, qui manus impoſitione careat, qua poſſit ordinare?* Quae Epiphanii verba Hieronymi locum illum explicant; multumque praeterea ad id conferunt, vt ab nefariae ſuſpicione haereſis tantus vir eximatur, qua nonnullorum iudicio laborauit (*b*).

III. Etenim Michael Medina in libro primo *de ſacrorum hominum origine, et eorum continentia*, cap. 5. Hieronymum, nec non Theodoretum, immo Ambroſium, et Auguſtinum, Chryſoſtomum etiam, Primaſium, ac Sedulium, in Aerii et Waldenſium haereſim, ac damnationem includit. Nam poſtquam illos citauit, loquitur ſic: *Atque ita iſti viri alioqui*

(*b*) Alia in explicando Hieronymo, cuius auctoritatem cum Salmaſio nobis obiiciunt Blondellus, et Ioan. Franciscus Buddeus, incedunt via Natalis Alexander *in Saec IV. Diſſ.* XLIV. §. XXIV. et *Witaſſe de ordine parte 2. quaeſt. 1. art. 2. ſect. 2. cap. 1.* Enimvero Duguetus Diſſ. IV. obſeru. Eccl. pag. 72. Petauianam interpretationem, non eſſe Hieronymi ſententiae conſentaneam cenſet, nulla tamen ratione, cur ita cenſeat, oſtendit, vt ait Momachius, quem vide T. IV. pag. 183. ſeqq. Cellotius autem, qui *lib. 4. De Hierarchia cap. 15.* corrupta fuiſſe Haereticorum fraude Hieronymi loca contendit, ab omnibus non iniuria exploditur.

ſanctiſſimi, et ſanctarum Scripturarum conſultiſſimi. Quorum tamen ſententiam prius in Aerio, deinde in Waldenſibus, poſtremo in Ioanne Wiclefo damnauit Eccleſia. Tum eos irridet, *qui inter horum Haereticorum, et veterum illorum patrum ſententiam in hac parte vllum eſſe diſcrimen putant.*

Sed haec mera calumnia eſt, ac temerarium praecepsque de re haud illi ſatis percepta, comprehenſaque iudicium. Nam illorum omnium Patrum longe ab Aerio, ac recentioribus aliis Haereticis cauſa ſecernitur. Ac Chryſoſtomus quidem, et Theodoretus, et qui Chryſoſtomum ſecuti ſunt, Oecumenius, et Theophylactus ſolum commune fuiſſe vocabulum vtrisque ſtatuunt, re ipſa vero diſcrepaſſe. Et Chryſoſtomus nominatim idem, quod Epiphanius, et Hieronymus, tradidit, τῇ χειροτονίᾳ, id eſt, ordinandi iure, et poteſtate differre a Presbyteris Epiſcopos. Reliquorum verba, vel ad eandem nominis communitatem accommodari poſſunt, accedente nonnulla, vt aſſolet, ſuperiectione, et hyperbole, vel interpretatione illa, quam ſupra propoſui, tractanda emolliendaque ſunt. Quod ſane poſterius, Commentarii illius, qui Ambroſio inſcribitur, in epiſtolam priorem ad Timotheum, locus indicat, dum ait: *Primum Presbyteros Epiſcopos adpellatos eſſe, vt recedente vno, ſequens ei ſuccederet.* Niſi hoc malis, ex collegio Presbyterorum aſſumtum Epiſcopum fuiſſe, non ſine μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ, vt Graeci loquuntur, qua ordinandi poteſtas ſolis Epiſcopis conceſſa, negata Presbyteris, vt oſtendimus, illi tribueretur. Quid autem meruit Auguſtinus, vt in ſuſpicionem vocaretur erroris iſtius? Nempe quod in epiſtola quadam ad Hieronymum ſcripſit ita: *Quamquam ſecundum honorum vocabula, quae iam vſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio maior ſit, multis tamen in rebus Hieronymus Auguſtino maior eſt.* Quid iniquius, quam propter illa verba, atrociſſimam hanc infamiam inurere homini ab iſta labe alieniſſimo? Nihil enim iſthic aliud ſignificat, niſi quod eſſe veriſſimum oſtendimus, cum hactenus eadem vtrique appellatione conferentur, ac συμπρεσβύτεροι, et συνδιάκονοι etiam aliquando dicerentur; poſtea nominum interceſſiſſe discrimen? In Hieronymum totius inuidiae impetus conuertitur, qui paullo minus, quam ceteri, commode eſt locutus. Sed quanto interuallo ab Aerii, ac Waldenſium haereſi diſtet, facile eſt cognoſcere.

IV. Aerii fuit haec opinio, vt ex Epiphanio ſcimus, nullum plane diſcrimen Epiſcopi a Presbytero fuiſſe, non ordinis, non honoris, non dignitatis, non functionis. Τί ἐστιν, aiebat ille, ἐπίσκοπος πρὸς πρεσβύτερον; οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου. μία γάρ ἐστι τάξις, καὶ μία, φησὶ, τιμὴ, καὶ ἓν ἀξίωμα. χειροθετεῖ, φησὶ, ἐπίσκοπος, ἀλλὰ καὶ ὁ πρεσβύτερος. λουτρὸν δίδωσιν ὁ ἐπίσκοπος, ὁμοίως καὶ ὁ πρεσβύτερος. Τὴν οἰκονομίαν τῆς λατρείας ποιεῖ ὁ ἐπίσκοπος, καὶ ὁ πρεσβύτερος ὡσαύτως. καθέζεται ὁ ἐπίσκοπος ἐπὶ τοῦ θρόνου, καθέζεται καὶ ὁ πρεσβύτερος. *Quid eſt Epiſcopus prae Presbytero? Nihil hic ab illo differt. Eſt enim amborum vnus ordo, par et idem honor, ac dignitas. Manus imponit Epiſcopus, imponit et Presbyter. Baptizat Epiſcopus, idem facit et Presbyter. Sacrificii adminiſtratione fungitur Epiſcopus, itidem et Presbyter. Epiſcopus in*

throno sedet, *sedet et Presbyter*. Manifestum est, Aerium prorsus omnem sustuiisse differentiam inter Presbyterum, et Episcopum, ac neque Diuino iure vllam introductam putasse, nec humano introduci debere. Hinc Augustinus in libro de haeresibus. cap. 46. de eodem: *Dicebat etiam Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni.* Ab hoc vero dogmate longe abest Hieronymus, qui et Episcopo a Presbyteris, Clericisque ceteris summum honorem habendum esse perpetuo censuit. Verba eius sunt in Epistola tertia ad Nepotianum: *Esto subiectus Pontifici tuo*, *et quasi animae parentem suscipe. Amare filiorum*, *timere seruorum est. Si pater sum*, inquit, *vbi est timor meus?* etc. *Quod Aaron*, *et filios eius*, *hoc Episcopum*, *et Presbyteros eius esse nouerimus.* Tum ampliorem in Episcopis potestatem agnouit, quam in Presbyteris, dum illis ordinandi, vt iam dixi, ius attribuit, quod istis negauit.

V. Nam quod consuetudine potius Ecclesiae, et humano quodam iure, quam Diuino, vtriusque constare differentiam significat; primum salua ordinandi potestate penes solos Episcopos, integra manet ordinum distinctio, et quidem diuinitus constituta, non sola consuetudine, vt paulo ante demonstrauimus. Deinde si Presbyteros olim itidem, vt nos statuimus, Episcopos vna fuisse volumus, nihil iam scrupuli, offensionisque restabit in verbis Hieronymi. Etenim solo consensu hominum, et vitandi schismatis gratia, vnus e numero multorum Episcoporum, eorundem Presbyterorum electus est, qui praeesset ceteris. Quod nemo dici prohibet. Nam etsi Episcopalis ordo iure Diuino in Ecclesiam introductus est, non eodem tamen illo iure decretum est, vt vnus in singulis ciuitatibus, et Ecclesiis esset Episcopus, sed Ecclesiae auctoritate, Conciliorumque sanctionibus, quarum ex Apostolica traditione origo descendit. Ad hunc modum Hieronymi, et Ambrosii exigenda est sententia. Sed siue hoc, siue alio sensu intelligantur vtriusque verba, perspicuum est, plurimum illos abhorruisse ab Aerianorum, et Waldensium haeresi, nec non Wicleffi, qui omnes in eandem conspirarunt opinionis perfidiam. Ac de Aerio quidem ex Epiphanio liquet, quod eius dogma fuerit.

VI. De Waldensibus habes apud Bernardum Abbatem fontis calidi in libro aduersus illos edito capite primo, et sequentibus, nec non apud Guidonem, Carmelitam, Antoninum et alios (a) Wicleffi meminit Thomas Waldensis lib. 2. doctrinalis fidei, art. 3. cap. 60. Atque omnes isti nihil penitus inter Episcopum, et Presbyterum distare putabant; *ac nonnisi duos ordines in primitiua Ecclesia* fuisse Wicleffus affirmabat, *Sacerdotem atque Diaconum.* Waldenses ne sacerdotium quidem retinebant, vt qui laicos omnes iustos consecrare, et absoluere posse crede-

H 2

(a) Adde Monetam *contra Cathol.* et Wald. cap. V. §. I. et Raynerium Sachonum in *summa contra Catharos*, *et Waldenses*, T. V. *Thesauri Anecdotorum Martenii*, p. 1777.

rent. Quibus assensus est tom. 1. oper. Luther. anni 1546. fol. 89. Lutherus in libro de captiuitate Babylonica; quo in libro Laicos omnes Sacerdotes esse docet, probatque Petri testimonio, qui epistolae 1. cap. 2. Christianos adpellat *regale Sacerdotium*; tum solo praedicandi verbi Dei ministerio sacerdotium definit; vt et Caluiniani omnes, quorum dogma Trapezitici foenoris patronus proplexus, nihil Episcopos veros, amprioque dictos aliud censet fuisse, praeterquam Verbi Diuini praedicatores ut paulo post ostendam. Ab iis vero pestibus quam longe absit Hieronymus, nemo non videt. Quare mira est vel oscitantia Hispani illius scriptoris, vel temeritas, qui infandae, ac nefariae haeresis tam Hieronymum, quam alios complures fautores, ac defensores fuisse prodidit.

Sed ista cum Catholicis Doctoribus controuersia seposita, Trapeziticam dissertationem deinceps aggrediar; qua in refutanda, multa de eodem argumento necesse erit exequi, ex quibus certissime constabit, magnum, ab antiquis vsque Ecclesiae temporibus, discrimen intercessisse Episcopos inter, et Presbyros; nec indoctius quidquam, absurdiusque ista esse fabula, quam cum veteribus illis, et hodiernis haereseon architectis Trapezitici operis scriptor est amplexus, eosdem olim cum appellatione ipsa tum re atque ordine Presbyteros et Episcopos fuisse.

C A P V T IV.

Refellitur Trapezitica dissertatio, quatenus Episcopum olim existimat nomen dignitatis non fuisse, sed curationis. Quid sit dignitas, et quemadmodum semper Episcopatui conuenerit. Hieronymi locus perperam acceptus a Trapezita. Noua illius de Episcoporum duplici genere opinio confutatur. Cuius ex Clemente irritum argumentum diluitur. Episcopos praedicandi munus obiisse semper, nec non ius rerum Ecclesiasticarum administrandarum habuisse.

In libro de Trapezitico foenore multa de Episcoporum ordine, et antiqua eorum institutione scripta sunt absurda, falsaque, de quibus hoc loco propositum est agere: Verba illius (Trapez. p. 412.) *Veteribus*, inquit, *Episcopatus in Ecclesia non fuit nomen dignitatis, aut potestatis*, id est ἐξουσίας, καὶ αὐθεντίας, *sed curationis, et administrationis*, βοηθείας, *siue* προστασίας, *quae est*, ἐπισκοπή. *Et non solum in Ecclesiasticis, sed etiam in ciuilibus curatio, et potestas diuersa fuit. Nam quaedam officia curationem habebant, non potestatem. Talis in Ecclesia fuit Episcopatus, quod nomen, teste Hieronymo, non meriti fuit, sed officii*, οὐκ ἀξίας, ἀλλὰ ἔργου. Censet igitur primis Ecclesiae temporibus Episcopi nomen curationis, et administrationis cuiusdam, sine honore ac dignitate nomen fuisse. Nam *curare ex etymo vocis*, ait, idem, p. 531.

nihil aliud est, *quam prouidere*, *atque* ἐπισκοπεῖν, *velut* Medicus ἐπισκοπεῖν νοσοῦντα *dicitur*, *dum eum curat.* Igitur si hunc audimus, Episcopum ex prima institutione sui nihil putabimus aliud fuisse, quam curatorem, nullo magisterio, nulla auctoritate praeditum, quasi opificem quemdam, aut ministrum. Qui enim aliter possumus, si nulla in eo dignitas fuit? *Dignitas*, ait liber ad Herennium secundus, *est alicuius honesta*, *et cultu*, *et honore*, *et verecundia digna auctoritas.* Quare qui dignitate caret, is auctoritatem non habet, neque cultu, et honore dignus est, ob hoc ipsum, quod munus illud, et curationem gerit, quae dignitas non est.

Hoc autem de Episcopo dicere non est, opinor, eius, qui, quid dicat, intelligit. An esse potest absurdius quidquam, atque ab vsu Christianae antiquitatis alienius, aut Scripturis ipsis magis aduersum, quam Episcopis auctoritatem, ac dignitatem eripere? Dignitas quid esset, dictum est ex Cicerone. Auctoritas eodem teste idem est, ac potestas. Nam quod feminas sine Auctore nullam rem agere licere dixit, Dec. 4. lib. 4. Liuius, hoc Cicero in oratione pro Muraena *potestatem* appellat, et *Auctores* l. 136. in fin. D. de diuers. reg. Iurisconsulti vocant eos, *a quibus ius in nos transiit.* Est autem Episcopus Magistratus quidam Ecclesiasticus. Magistratus porro sine potestate, ac iurisdictione ne intelligi quidem potest, cum haec sit Magistratus definitio: *Cuiac. ad ib. 2. de orig. iuris*, vt sit, *qui iuri dicundo*, *et assidua iurisdictione seruando praeest.* Cuius functio, qui et Magistratus dicitur, ab eodem Iurisconsulto definitur, qua ad Romanos pertinebat, *potestas populi Romani ordinaria.* Vniuerse autem Aristoteles ita definit, libro 4. Polit. cap. 15. Μάλιστα δέ, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀρχὰς λεκτεόν ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περὶ τινῶν, καὶ κρῖναι καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο. Τὸ γὰρ ἐπιτάττειν, ἀρχικώτερόν ἐστι. *Imprimis autem*, *vt simpliciter dicamus*, *magistratus illi nominandi sunt*, *quibus datum est deliberare de quibusdam*, *et decernere*, *et iubere*, *atque hoc praecipue. Nam iubere Magistratuum magis proprium est.*

Iam vero praecipiendi, siue iubendi ius, ac potestatem penes Episcopos nunquam non fuisse, tum pleraque scripturae testimonia persuadent, tum antiqui canones omnes, et Concilia, tum denique vsus Ecclesiae perpetuus, monimentis veterum, et illius actorum testimoniis ad posteritatis memoriam proditus. Quod ad noui Testamenti literas spectat, Actorum cap. 20. 28. Paulus Apostolus Presbyteros alloquens: *attendite vobis*, *ait*, *et vniuerso gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos*, *regere Ecclesiam Dei.* Graecè est ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, *pascere Ecclesiam Dei.* Quae vox non nudam sine potestate atque imperio curationem significat, sed ius, et auctoritatem non solum iubendi, sed etiam coercendi. Οἱ δὲ ποιμαίνοντες (ait Philo in libro de eo, quod deterior potiori insidiatur) ἀρχόντων καὶ ἡγεμόνων ἔχοντες δύναμιν, etc. *Qui pascere dicuntur*, *principum*, *ac ducum vim habent.*

Sic Epistolae ad Hebraeos capite 13. 17. *Obedite praepositis vestris*, *et subiacete eis*; *ipsi enim peruigilant*, *quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Πεί-

θεσθε τοῖς ἡγεμένοις ἡμῶν, καὶ ὑπείκετε. Quos autem ἡγεμένας, id est *praepositos* adpellet, intelligimus ex commate 7. *Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Nimirum ἡγέμενοι Christiani ac fideles sunt Magistratus, hoc est, Episcopi, quibus a Spiritu Sancto commissum est regimen animarum, vt Actorum 20. dixit. Habebant igitur imperandi Ius ac potestatem; adeoque non sola penes illos curatio fuit sine dignitate.

Rursus magistratus *a Cuiac. in Parat.* celebri iureconsulto definitur: *Publica persona, quae iurisdictioni praest; vel qui pro tribunali cognoscit, cui publice iudicium iurisque dictio data est.* Quis porro negare audebit, Episcopos non ex antiquo iurisdictionem habuisse, cuiusmodi mandauit illis Dominus, hoc est ad animum pertinentem, ac spiritum? An non perinde canonicum ius est, ac ciuile? Aut non illud ab Episcopis exercetur, quemadmodum alterum ab ciuili potestate? Communione multare aliquem, aut ius dare communionis, nempe ius est, cuius dictio, et administratio non aliis credita, quam Pastoribus, et Episcopis, idque iam tum Apostolorum aetate. Quare tribunal et illi suum habent, e quo sententiam dicunt, multo et potestate, et dignitate maius, ac praestantius, quam cathedra Mosis illa, super quam sedentibus Iudaeorum magistris obtemperari Christus voluit.

Nam quod Hieronymum testem citat, miror, quid illi in mentem venerit, vt hoc faceret. Scripsit Hieronymus, *Episcopatum non meriti fuisse, sed officii*, quod Graece Trapezita reddit sic, ἐκ ἀξίας, ἀλλ' ἔργε. Sed vide lepidam rem. Graeca vox ἀξία duo significat notione diuersa: *meritum*, quo mereri aliquid dicimur, et *dignitatem*, id est *honorem*; ne sic accipias, quomodo *dignus* ille dicitur, qui meretur. Porro *meriti* nomen prius illud tantummodo significat, eoque sensu recte scripsit Hieronymus, non omnes, qui fiunt Episcopi, vitae id merito consequi; nec propterea, quia sunt Episcopi, meritis, ac probitate praestare ceteris. Trapezita quod in meriti vocabulo non poterat; in Graeco ἀξίας illusit. Atqui, vt ἀξίαν interpreteris, non honorem debes intelligere. Id enim falsum esset, Episcopatum honoris non fuisse. Sed eo modo, quo Menander dixit.

Αρχῆς τετευχὼς ἴσθι ταύτης ἄξιος. *Imperium adeptus dignus hoc fieri stude.* Quemadmodum autem meriti vox ab Hieronymo vsurpata sit, indicat Augustinus in libro de Pastoribus, capite 1. *Nos enim*, ait, *quos in isto loco, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundum dignationem suam, non secundum meritum constituit, etc.* At Hieronymus ipse dignitatem alibi Episcopis attribuit in cap. 60. Esaiae, vbi versum septimum ita legi apud 70. adnotat. *Ponam visitationem tuam, pacem, et praepositos tuos iustitiam, vel et Episcopos tuos iustitiam*; tum ita scribit: *Quorum omnis visitatio in pace est, et vocabulum dignitatis in iustitia.* Ergo *Episcopi* nomen vocabulum dignitatis appellat Hieronymus, et Trapezitae παρερμηνείαν submouet. Sane Episcopos *speculatores* esse ait Augustinus in 1. *de ciuit. Dei*, cap. 11. *hoc est, populorum praepositos constitutos in Ecclesiis, vt non parcant obiurgando peccata*; tametsi

hoc etiam faciant, qui *praepositi non sint*, et Clemens Romanus libro constitutionum secundo, cap. 27. Episcopatum vocat ἀξίωμα, quod idem valet, atque ἀξία, quam Trapezita detrahit. Tum cap. 28. appellat ἄρχοντα, quae vox principem, vel praesidem significat.

Pergit *pag.* 413. Trapezitici foenoris patronus, *et hoc*, inquit, *nomen ἐπισκοπῆς peculiariter competiit illi generi Presbyterorum, siue seniorum, qui administrationem rerum Ecclesiasticarum suae curae commissam habebant, et distinguebantur a Doctoribus, qui in doctrina, et oratione operam ponebant. Sed et διδασκάλοις Presbyteris datum est.* Atque vt illius mentem, ac sententiam plenius intelligas, hoc primum ab eo fundamenti loco scito poni. Idem pag. 407. et seq. Episcopos olim eosdem fuisse cum Presbyteris. *Eos vero duum generum sub Apostolis fuisse*, alios orationi, et praedicationi operam dedisse: alios sacerdotale ministerium populo praestitisse, id est, *dispensationem, et administrationem Sacramentorum habuisse.* Prioris generis ex Petri institutione fuisse Clementem, posterioris Cletum, et Linum, vt in Clementis vita Damasus prodidit.

De vtrisque porro (pag. 409.) loqui Apostolum existimat in epistola priore ad Corinthios, cap. 12. *Vbi varia charismata recenset, quae in Ecclesia sua Deus constituerat.* Nam ibi *enumerat primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, donationes sanitatum, adiutoria, gubernationes, genera linguarum.* Ex his διδασκάλες ait esse genus illud Presbyterorum, quod de duobus primum constituit, et orationi, et praedicationi operam dabat; adiutoria autem, et gubernationes, id est ἀντιλήψεις, et κυβερνήσεις de illis *Presbyteris, siue Episcopis intelligi, qui Ecclesiae res procurabant, et dispensabant, atque etiam Sacramenta populo administrabant*, pag. 410. *In hos* posteriores ἐπισκοπῆς *nomen ex merito magis competere* asserit, *quae est inspectio, procuratio, administratio.*

Haec summa nouae opinionis, nec tantum nouae, sed etiam falsae, minimeque cohaerentis. Enimuero aliud esse populum docere, vel orationi operam dare, aliud Sacramenta populo administrare, aut quamlibet aliam curationem exercere, nemo non videt. Sed vt actiones diuersae sunt, sic diuersis personis mandatas esse, vt Episcoporum, siue Presbyterorum alii istud, alii illud obierint, id vero est falsum. Non enim generibus, et quasi statibus hominum, distinguenda ista fuit, sed facultatibus, quae in eodem genere possunt esse non eaedem.

Sane Apostolis duplex a Christo mandata est functio: vna Sacramentorum administrandorum, velut baptismi, altera docendi Euangelii, quae duo Matthaei vltimo capite praescribuntur a Christo: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. cti, docentes eos seruare omnia, quaecunque mandaui vobis.* Hae sunt functiones duae, propter quas Episcoporum, siue Presbyterorum gradum in duo scindit genera Trapezita; nimirum Sacramentorum administratio, quam proprie ad ἐπισκοπὴν pertinere vult, et Diuini verbi praedicatio.

Vtramque tamen, non omnes, exercebant Apostoli. Paulus enim in priore

ad Corinthios cap. 1. com. 17. paucos se baptizasse dicit: *Non enim misit me Christus*, inquit, *baptizare, sed euangelizare.* Quis autem propterea dicere audeat, duplex Apostolorum genus fuisse, alterum baptizantium, alterum minime baptizantium, sed tantummodo praedicantium Euangelium? Hoc si quis afferat, ridicule idcirco sentiat, quod iure ac potestate, non actione, vel vsu potestatis discernendi sunt ordines, ac gradus Ecclesiastici. Non minus ergo falso, absurdeque duo Episcoporum velut genera, ordinesque ponit; quos alios nihil nisi orasse, ac praedicasse putat, alios Sacramenta dumtaxat administrasse, curasseue cetera.

Etsi enim vera ista non est eius opinio, vt postea dicam, tamen ad id probandum, quod inde concludit, certum genus Presbyterorum, hoc est, Episcoporum fuisse pag. 418. *Qui administrationem rerum Ecclesiasticarum suae curae commissam habebant, et distinguebantur a Doctoribus, qui in doctrina, et oratione operam ponebant*, non sufficeret, vtcunque falsa non esset illa ratio; quod non eaedem ab omnibus Presbyteris functiones exercerentur, nisi hoc praeterea demonstraret, iure alterius obeundae caruisse, qui alterutram ipsi sibi sumsissent, vel mandatam ab aliis gererent. Etenim nonnullos fuisse constat Episcopos eo tempore, quo vtrumque munus, et curandarum Ecclesiasticarum rerum, et praedicandi passim vsurpabant ceteri, qui vel impediti morbo, vel ob linguae tarditatem, vel ob sermonis inscitiam, quod essent peregrini, ad concionem verba facere non poterant; vt de Valerio Hipponensi, cui successit Augustinus, refert in huius vita Possidius. Neque ob id, quod vnius modi tantum functionem obibant, alterius generis Episcopi censebantur, et ab iis diuersi, qui vtramque sustinebant. Quod igitur de his Episcopis si quis dicat, risum non tenebimus, cum non minus absurde de antiquioribus illis affirmet Trapezita, cur non idem faciamus.

Sed vt in arcem opinionis illius inuadam, nego id, quod ille pro comperto habet, qua tempestate Presbyteri idem erant, et Episcopi, sic descriptas, ac diuisas operas inter illos fuisse, vt non ambas, qui possent, susciperent, tum orandi, ac praedicandi, tum curandi res Ecclesiasticas, et Sacramenta populis administrandi. Ius, inquam, et potestatem vtriusque praestandi omnes illos habuisse defendo, qui Presbyteri pariter essent, et Episcopi, quamuis certis de caussis vniusmodi tantum functionem attingerent. Etenim Actorum 20. 28. Presbyteros, et eosdem Episcopos alloquens Paulus, ait, illos Spiritu Sancto positos esse, *vt pascant Ecclesiam Dei*, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Et 1. Petr. 5. Petrus Presbyteros alloquens συμπρεσβύτερον se illorum vocat, vt appareat eosdem Episcopos fuisse. Hos vero deinceps hortatur, *vt pascant commissum sibi gregem Dei* ἐπισκοποῦντες (tanquam dicas, *Episcopantes*, Latinus Interpres *prouidentes*) *non coacte.* Cuiusmodi pastio vtrumque illud munus amplectitur, docendi, et Sacramenta ministrandi; quemadmodum, et cum Christus oues suas Petro commisit. *Pasce*, inquit, *omnes oues meas.* Nam Episcopi quilibet in totius gre-

gregis portione sibi tradita praestant, quod in toto ipso facere iussus est Petrus, vt suum quisque Diuini Verbi, et Sacramentorum pabulo reficiat. Quin etiam ad Titum scribens Paulus Apostolus, postquam ei praecepit, vt *Presbyteros per ciuitates constitueret*, hoc est, vt statim declarat, Episcopos: mox quae sint eorum partes explicans, inter alia, quae in primae ad Timotheum tertio capite iisdem fere verbis scripserat, Episcopum censet oportere esse, *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit, et exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.* Igitur Episcoporum omnium sine vllo discrimine munus officiumque est, praedicare Verbum Dei, docere, cohortarique populum, haereticos, et Christianae fidei oppugnatores disputando refellere. Certe neminem illius ordinis excipit Apostolus, sed in commune Presbyteris, hoc est, Episcopis omnibus ita praescribit. Quaenam igitur his, et similibus in mandatis latebra est Episcopis, nescio, quibus ex officina τȣ̃ ἀδοκίμȣ Τραπεζίτȣ nuper emersis? quod nouum, et inauditum hucusque commentum, etsi ille verisimillimum probando faceret, aegre tamen persuadere posset; nunc sine vllis argumentis affirmanti sibi credere nos iubet, ego vero ne iuranti quidem. Sed vnde tandem nouitatis istius suspicione sit afflatus, operae pretium sit inspicere.

Duo sunt omnino, quae hoc illi somnium iniecerunt, effusum ea porta:

Qua falsa ad coelum mittunt insomnia manes.

Primum Damasi locus (*Trap. pag.* 407.) in vita Clementis, vbi Petrus Clementi praecipit: *Vt ordinet dispositores diuersarum causarum, per quos actus Ecclesiasticus profligetur, et tu*, inquit, *minime in curis saeculi deditus reperiaris, sed solummodo ad rationem, et praedicationem populi vacare stude. Ipse etiam Petrus in ea vita dicitur ad orationem, et praedicationem populum erudiens vacasse.* Cum autem *Cletus et Linus ab eodem Petro ordinati sint Episcopi*, vt idem testatur Damasus, *qui praesentialiter omne ministerium sacerdotale in vrbe Roma populo superuenienti exhiberent:* concludit ex eo, *alterius generis, et ordinis fuisse* Cletum, et Linum, quoniam ministerium illud sacerdotale, quo eorum cura definita est, *dispensationem, et administrationem Sacramentorum* interpretatur, quas fuisse putat secundas Episcopi partes, ac minus, quam priores illas praedicandi, et orandi dignitatis habuisse. Sed quid argumentatione ista futilius? Imprimis Damasus ille non est Damasus, et pro adulterino, ac supposititio iam pridem doctorum iudicio damnatus est. Deinde nihil est, qualiscunque est, quod ad caussam pertinet. Quis enim Trapezitam docuit, Petrum Apostolum ita Clementi commendasse praedicandi, vel orandi munus, vti curatione reliqua, maxime impertiendis Sacramentis, interdixerit? *Curis* quidem *saeculi* vetat esse *deditum*, totumque se orationi, ac praedicationi dare praecipit, de Sacramentorum administratione verbum nullum facit. Quid quod administratio ista Sacramentorum oratione continetur? Immo vt eorum fert opinio, quorum partes Trapezita sequitur, sine praedicatione non potest fieri. Ita enim censent Catholicae, ac Romanae communionis hostes, in-

ter quos ille profitetur. Quare non possunt a se mutuo diuelli oratio, ac praedicatio, et Sacramentorum tributio, neque diuersos Episcoporum gradus efficere. Ad haec, si Clemens idcirco plenam Episcopi functionem non habuit; sed in vno tantum gradu orantium, ac praedicantium substitit, ab altero vero, in quo Linus, Cletusque censentur, segregatus est ob id ipsum, *quod ad orationem, et praedicationem populum erudiens vacaret;* plenum ac perfectum non habuit, sed mutilum, ac dimidiatum Episcopatum. Caruit enim parte huius altera, quae *in dispensatione* sita est, *et administratione Sacramentorum.* Nam *ipse Petrus in ea vita dicitur,* idem, quod Clementi mandabat, egisse. Aut si ex toto Episcopus fuit, quia sic vna se actione circumscripserat, vt alterius, si minus vsum, ius certe ac potestatem haberet, etiam iste ipse Clemens, quem ad exemplum sui Episcopum instituit, vt ibidem profitetur, non vnius generis, quod credit Trapezita, Episcopatum tenuit, sed reliquas insuper functiones aut exercuit, aut si vellet, ac vacaret, exercere potuit. Quod idem de Lino, Cletoque, si Episcopi sunt a Petro facti, per illum nobis Damasum affirmare licet, atque huius qualiscunque auctoritatis praesidium nouo illi commento subtrahere.

C A P V T V.

Alia Trapezitae argumenta de duplici Episcoporum genere discussa. Pauli Apostoli declaratus locus. Quid sint apud illum opitulationes, et curationes.

I. Alterum Argumentum foeneratorum patronus ducit ex Apostolo, eiusque loco duplici. (Trap. p. 408.) *Presbyterorum,* inquit, *siue Episcoporum duo genera tum fuisse, locus Pauli in epist. ad Timotheum 1. cap. 5. ostendit his verbis: Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo, et doctrina.* Hic enim Episcopos, siue Presbyteros illos significari putat, qui in orando, praedicandoque toti erant occupati; quibus videlicet oppositi sunt ii, *qui Sacramenta administrabant, et exhibebant plebi.* Atqui locus iste Apostoli nihil diuinationem illam adiuuat, nec ab ea fingi quidquam potest alienius. Nam unde tandem alterum illud efficit, gradu ac genere distinctos Episcopos alios fuisse, qui Sacramenta populo repraesentabant, et in verbum, ac doctrinam nullo modo essent intenti? Non illa repeto, quae antecedenti capite dixi, et sunt verissima: verbi praedicandi, ac docendi functionem cum Sacramentorum administratione coniunctam fuisse, tum ex vsu Veterum, quem tot Catechetici sermones ab iisdem Episcopis habiti testantur, qui Baptismo, vel Sacramento Dominici Corporis initiabant, tum alio sensu ex Trapezitae, et Caluinistarum

ceterorum dogmate. Itaque non potuit ambo illa Episcopalis ordinis munera a se mutuo disiungere. Sed hoc omisso, vnum duntaxat proferam, idque perbreue, paucis vt hominem absoluam. Apostolus eos Presbyteros, vel Episcopos duplici honorario, ac mercede prosequendos ait, qui sine reprehensione partes suas obeunt, pascendi scilicet gregis, qui illorum curae commissus est, vt loquitur Petrus epist. 1. cap. 5. sed eos maxime remunerandos, honorandosque decernit, non qui soli inter omnes, sed qui plus ceteris laborant in praedicando Dei Verbo, et erudiendo populo: *οἱ κοπιῶντες*, inquit, hoc est, insignem operam nauantes, nec vulgari labore contenti. Minime vero inde consequens est, quod Trapezita concludit; ergo alios fuisse Episcopos, qui pro generis, ac status sui conditione alia omnia curabant.

II. Equidem non grauate concesserim, inueniri quosdam e Presbyterorum, Episcoporumue numero potuisse, qui vni certae functioni magis erant addicti, et in ea frequentius, ac libentius occupabantur, siue natura magis ad illam facti, comparatique erant, quam ad alteram, siue diuino instinctu, et peculiari aliquo charismate praediti eo propensiore animo ferebantur; quod postea dicemus. Sed non ideo diuerso in gradu, et ordine, atque Episcopatus alio genere collocandi sunt. Nam et alias quoque praestabant actiones pro virili parte, et vt res ferebat; certe nullo interdicto vnde vi, Episcopalis muneris possessione deiectos esse probat Trapezita. Ecce idem Apostolus prioris ad Corinthios cap. 15. 10. de se ita profitetur: *Abundantius illis omnibus*, hoc est Apostolis, *laboraui*, Graece *περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα*: vbi idem vocabulum est *κοπιᾶν*. Quoniam ergo vehementius se laborasse ceteris Apostolis Paulus affirmat; num idcirco vel non eundem docendi, ac disseminandi Verbi diuini laborem sumsisse putamus reliquos; vel diuersi ab iis generis Apostolatum nescio quem Paulo decernimus? Quis hoc, nisi quid dicat nesciens, audebit dicere? Atqui nulla re differt illa Trapezitae ratiocinatio ab hac, cui nemo prudens assentitur. Age vero, num illud dubium est, inter septem primos Diaconos Stephanum vl maiore, atque conatu in praedicandi negotium incubuisse? *Act.* 7. Ita quidem de illo Actorum historia testatur. An vero propterea gradu, et ordine distabat a reliquis Diaconis, aut nouum aliquod Diaconi fabricandum est genus? Qui autem minus id licebit, quam Trapezitae nouum Episcopi ordinem instituere, pro eo, quod alii aliis maiore in praedicando labore, industriaque versati sunt? Frustra igitur illo ex loco prioris ad Timotheum epistolae commentum suum fulcire conatus est.

III. Videamus, an in altero felicius illi res cesserit: (*Trapez. p.* 409.) *Eandem*, inquit, *inter Episcopos, siue Presbyteros differentiam licet etiam confirmare altero Pauli loco ex epist. 1. ad Corinthios cap.* 12. *Vbi varia charismata recenset, quae in Ecclesia sua Deus constituerat. Primum in ea gradum dignitatis habuisse dicit Apostolos, secundum Prophetas, tertium doctores, deinde virtutes, donationes sanitatum, adiutoria, gubernationes, genera linguarum. Per διδασκάλους, quibus tertium locum assignat, non est dubium, ab eo intelligi illud genus*

πρεσβυτέρου, *quos ad Timotheum κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ vocat, et quos Damasus in Clemente scribit praedicatione populum erudisse, atque orationi tantum vocasse. At cum idem Apostolus inter ea* χαρίσματα *Ecclesiae nominat* ἀντιλήψεις, *et* κυβερνήσεις, *adiutoria, et gubernationes, de illis Presbyteris, siue Episcopis intellexit, qui Ecclesiae res procurabant, et dispensabant, atque etiam Sacramenta populo administrabant.* Haec Trapezita, quorum haec summa est, duo hic Episcoporum genera describi ab Apostolo, ac prius quidem, et praestantius, quod in orationem, et praedicationem incumbebat, διδασκάλων nomine significari, posterius vero, quod et inferius est, et ἐπισκοπῆς nomine proprie censetur, quodque inspectionem tantum, et curationem habuit siue dignitate ac potestate iis vocibus contineri, ἀντιλήψεις, et κυβερνήσεις. Hic si humani sensus ac iudicii paululum adhibeatur, si illa ipsa, quae scripta sunt, verba considerentur, inter seque conferantur, nemo est hebes adeo, quin sententiarum absurditatem, conflictumque statim videat.

IV. Primum quis illum docuit, per διδασκάλους nominatim Episcopos prioris gradus intelligi; posterioris autem per duo ista ἀντιλήψεις, et κυβερνήσεις? Qui enim potius distinctos ambo ista gradus Episcoporum significant, quam qui secundo loco ponuntur? Prophetae, aut quae deinceps post tertium enumerantur, virtutes, donationes sanitatum, ac genera linguarum? Cur non ex istis totidem Episcoporum ordines, aut aliorum graduum comminisci fas erit, si Episcoporum, ex duobus illis conceditur? Enim vero πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, et quod quisque amat, de eo sibi somnia fingit. Nihilo ergo magis Episcopi in illis vocabulis continentur, quam aut Diaconi, aut etiam Laici. Nam et Stephanus, et Philippus Diaconi fuerunt, et iidem διδασκαλίας χάρισμα excellenter habuerunt. Habuit et Stephanus, quod quidem e Scripturis constet, τῆς ἀντιλήψεως, et κυβερνήσεος donum. Viduis enim, atque egentibus opitulabatur, eosque fouebat tum ex officio, tum quod ad ista pietatis opera suus illum incitabat animus, Sancto instinctus Spiritu, et charitatis ardore flagrans. Praeterea Paulus in illo prioris ad Corinthios loco, χαρίσματα, id est, dona quaedam recenset Spiritus Sancti, quae tum extra ordinem largiebatur, quibus vellet, et quocunque tempore libitum illi esset, quod et Trapezita agnoscit, dum *Ecclesiae* χαρισματα *nominari* illic asserit. Non igitur ordinaria Ecclesiae munera, et officia, quae humano iudicio, ac suffragio mandantur, ibi Apostolus designat, cum διδασκαλίαν, ἀντίληψιν, et κυβέρνησιν nominat. Siquidem διδάσκαλοι non ii sunt, qui docendi populi ius, ac potestatem habent ex ordinis praerogatiua, vt Episcopi, qui siue praedicandi diuini Verbi facultate praediti sint, siue ea careant, tamen magisterium obtinent: sed sunt οἱ ὑπὸ τῆς θείας ἐμπνεόμενοι χάριτος, *qui diuina inspirati gratia* diuina explicabant dogmata, vt scribit Theodoretus, nec non Chrysostomus, ac ceteri. Non erat autem illigatum hoc donum, et charisma Spiritus Sancti Ecclesiae primoribus, id est, Episcopis, sed inferioribus etiam aspirabat, vt de Diaconis superius ostendimus. Certe Stephanus,

et Philippus, quod ſciam, Epiſcopi non fuerunt; quos tamen διδασκάλυς ex eo genere, quod Paulus ibi commemorat, fuiſſe nemo dubitat.

C A P V T VI.

Trapeziticae Diſſertationis incondita ratio ad certa capita reuocatur, et excutitur. Eius repugnantia, et abſurditas. Refelluntur varii ab illo temere conſtituti gradus Epiſcoporum. Oſtenditur ex antiquorum teſtimonio Epiſcopos plenum ius ſemper in Eccleſiaſticas res habuiſſe; ac tam in praedicationem incubuiſſe, quam Eccleſiaſticis bonis praefuiſſe. Summa illorum poteſtas aduerſus Trapeziticas naenias defenditur.

I. Sed vt preſſius cum iſto opinionis, errorisque portento pedem conferamus, age, quae de Epiſcoporum generibus, et officiis confuſe, et quaſi per ſaturam ſcripſit Trapezita, articulatim, ac diſtincte conſideremus. Ita dictorum repugnantia, et falſitas, quae in incondita illa congerie, velut in tumultu ac turba latet, deprehenſa atque conuicta in ipſos Lectoris oculos incurret. *Solent enim,* vt recte ſcripſit Aeſchines, *qui mentiri volunt, obſcura quaedam et incerta, nec ſatis explicata proferre, ne coargui conuincique poſſint.* Hic verus germanusque character eſt Trapezitici illius operis, in ea maxime parte, in quam modo nos inquirimus. Adeo enim perplexa, et indigeſta, et inextricabilia illic omnia ſunt, vt quid ſibi velit, ac quid longa, et verboſa diſputatione probare, ac definire conetur, nemo mortalium aſſequi poſſit. Quantum quidem humano more, ac ſenſu dictum ibi eſt, quod intelligi queat, exponam breuiter; tametſi ne iſta quidem cohaerent ſecum, ſed euertunt ſe, et inuicem pugnant. Tria ſunt, inquam, vel quatuor capita opinionis illius, quae ad pugnam, et contradictionem implicata ſunt.

II. Primum docet (pag. 407. 408. 409. 410. et ſeq.) antiquis temporibus, cum Presbyterorum, et Epiſcoporum promiſcua eſſet appellatio, et par communiſque gradus, ac dignitas, nonnihil tamen fuiſſe diſcriminis, quod illorum alii (416.) *curam animarum proprie habuere, quas erudiebant*, nempe qui orationi ac praedicationi totos ſe addixerant. *Alii curam corporum, quae ab iniuria defenſabant, et bonorum, quae diſpenſabant.* Addit tamen mox: *Immo etiam et animarum, quia Sacramentorum adminiſtrationem, quibus animae quaſi paſcuntur, quaeque alimenta ſpiritualia ſunt.* Tales fuiſſe cenſet, qui Epiſcopi proprie dicebantur ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς, id eſt, *a curatione quaſi προςάται defenſores, ac curatores Eccleſiae, non ἄρχοντες*

Deinde iſta ſubiicit.(pag 417.) *Poſtea vnus idemque curam animarum geſſit, et pecuniarum, id eſt, bonorum Eccleſiaſticorum. At olim cum Presbyteri dicerentur ab aetate, duum, vt dixi, generum fuere, ſed vnius ordinis, alii ad ἐπισκοπὴν Eccleſiae deſtinati, alii ad*

διδαχήν, *quae et ipsa ἐπισκοπὴ animarum* etc.

Tertio in eadem pag. 417. ita Trapezita: *Idcirco cum Presbyterorum, et Episcoporum ordo distingui coeptus est, et superior gradus dignitatis Episcopis dari, hoc proprium eorum munus est factum, docere, ac populum praedicatione erudire, orationique tantum vacare, et nullis se aliis Ecclesiasticis negotiis immiscere. Ergo tum Presbyteri cetera curabant, tam quae spectarent Sacramentorum administrationem, quam quae aliorum Ecclesiasticorum actuum procurationem.*

Quarto scribit haec Trapezita pag. 418. *Vbi docendi munus abiecerunt Episcopi, quod olim proprium, et peculiare habebant, infra dignitatem suam id esse rati, tum exortum est in Ecclesia Doctorum genus, qui Episcopi non erant, etc.* Mox, *abiecto igitur munere docendi, ne nomen ac species sine re maneret Episcopatus dignitas, ex muniis Presbyterorum quaedam praecipua sibi sumere coeperunt, quae non liceret Presbyteris attingere pag. 419. sed Episcopi soli agere possent, vt erat poenitentium reconciliatio, et Chrysmae confectio, et puellarum consecratio, et alia quaedam: Episcopo etiam dispensandi res Ecclesiasticas potestas data est, sed cum notitia Presbyterorum, et Diaconorum, vt scirent nimirum, quae bona essent Episcopi propria, quae ad Ecclesiam pertinerent. Canone vlt.mo Antiochenae Synodi. Quod olim Presbyterorum fuit, qui non docebant.*

III. In hac tota disputatione tres, vt dixi, quatuorue status Episcopalis ordinis continentur. Quorum primus est, quando bifariam tributus fuit in eos, qui oratione, diuinique Verbi praedicatione censebantur, et eos, qui res externas curabant, ac Sacramenta praebebant. Secundus est, in quo curam vtriusque gesserunt. Tertius, in quo sola docendi populi, citra rerum Ecclesiasticarum procurationem illis est mandata prouincia. Quartus denique, in quo omissa praedicatione, docendique populi munere, externa duntaxat attigerunt. Quam haec vana, et commentitia sint, nondum disputo; fiet hoc post paulo, vbi haec ludicra, et somniorum esse simillima constabit. Illud quaero, quam consentanea sint, quae de secundo, ac tertio statu prodidit. Nam post priora illa, de duplici Episcoporum genere, mox ista subiicit (pag. 418.): *Postea vnus idemque curam animarum gessit, et pecuniarum etc.* Quibus significat, post illud tempus, quo Presbyteri exaequari Episcopis desierunt, penes vnum ceteris praepositum Episcopum, duo fuisse munera, quae hactenus ambo illa in genera diuidebantur ita, vt idem et orationi, praedicationique daret operam, et Ecclesiastica bona, adeoque Sacramenta curaret. Atqui subinde pagina eadem contrarium docet; nempe cum *Presbyterorum, et Episcoporum ordo distingui coeptus est*, Episcopo solum docendi, erudiendique populi, et orationis munus iniunctum fuisse, ceterorum vacationem habuisse, quae Presbyteri curanda susceperunt. Haec duo vera simul esse non possunt. Exponat igitur, quodnam secundo illi statui tempus assignet, in quo duplici munere ornati sunt Episcopi; quod sane nunquam non in eorum iure fuit, ac potestate, vt partim ex iis liquet, quae superius probata sunt, partim in sequentibus ostendam. Itaque demto illo secundo, quem euertit in tertio, tres non amplius Episcoporum status a Tra-

pezita constituti sunt; primus, in quo Episcopi cum Presbyteris promiscue habiti, functionis genere bifariam partiti erant: secundus, in quo Episcopi iam a Presbyteris distincti, et supra eos euecti, nihil praeter orationem, et populi institutionem Ecclesiastici muneris vsurpabant, Sacramentorum, ac bonorum Ecclesiae curatione Presbyteris commissa: tertius, in quo vice versa praedicationis onere in alios translato, toti in rerum Ecclesiasticarum administrationem intenti erant. Haec summa est Trapeziticae disputationis, in qua tantum est falsitatis, et inscitiae, quantum vix quisquam, nisi oculis ipsis fidem faciat, persuadere sibi poterit. Dabimus operam, vt quae sola lectione mediocriter saltem eruditi iis in rebus animaduertent, etiam tardissimi quinque rationibus adiuti nostris incredibilia paucarum paginarum errata cognoscant.

IV. Imprimis autem recolenda illa sunt, quae in superioribus capitibus exposui de antiquo Episcoporum statu, cuiusmodi temporibus Apostolorum fuit; deque communi cum Presbyteris illorum appellatione; ita tamen, vt inter Episcopum, ac simplicem Sacerdotem salua esset functionis, ordinisque distinctio, etsi in eandem personam ambo concurrerent. Intellectum porro est ibidem, perbreui tempore, ac sub Ecclesiae duntaxat initia seruatum id fuisse, vt iidem et Presbyteri, hoc est, communi Sacerdotio praediti essent, et Episcopi, siue, vt cum Sidonio loquar, in primo et secundo ordine iidem vt essent antistites. Nam subinde vnus ex omnibus, qui Episcopi tum nomine, tum dignitate, iure atque ordine, toti Ecclesiae praeesset, electus est; id quod superstitibus adhuc Apostolis in vsum receptum esse monstrauimus. Neque vero, quod indidem constat, sic vnquam Presbyteri, et Episcopi simul iidem constituti sunt, vt non distincti per sese ambo essent ordines, qui et diuersis postea personis attributi sunt, et tum etiam, cum in plerisque coniungerentur, in nonnullis separati fuerint. Ex quibus Trapezitici foeneratoris, vt et reliquorum sectae eiusdem, hoc est, Caluinistarum omnium error arguitur, qui nihil ab Episcopo interesse Presbyterum, id est, ordinem ab ordine differre putant. Explosa est etiam ista Presbyterorum, qui iidem essent, et Episcopi, Trapezitica partitio; vt eorum aliqui hoc unum munus gererent, vt orarent praedicarentue, et animas tantummodo curarent; alii nihil praeter corpora spectarent, et quae ad ista pertinent, Ecclesiasticas pecunias. Quamquam et curandarum animarum particula mox eos aspergit, Sacramentorumque concedit administrationem. Quae quam falsa, et sine vlla ratione conficta sint, non hic repetam, ne in eadem saepius incurrat, ac longius, quam volo, tendatur ista disputatio. Nam et alia supersunt haud pauca dicenda contra status Episcoporum reliquos duos, etsi, primo illo profligato, maiori etiam isti ex parte corruunt. Sed sunt propria quaedam flagitia insequentis orationis, de quibus Trapezita noster admonendus est.

V. Proximus a primo, et antiquissimo, status Episcoporum fingitur eiusmodi, postquam a Presbyterorum ordine segregati sunt, in quo oratione, ac praedicatione diuini Verbi circumscriptum munus illorum fuit; adeo vt neque

bonorum Ecclesiasticorum procurationem, neque Sacramentorum praestationem susciperent, sed vtrumque administrarent Presbyteri. Locum ad verba Trapezitae p. 417. quibus hoc explicat, paullo ante descripsimus. Quod initium partitionis illius inter Episcopum, ac Presbyteros muneris, officiique, necesse sit ab illo constitui, iam e superioribus liquet. Tum enim id esse factum existimat, (*ibidem.*) *Cum Presbyterorum, et Episcoporum ordo distingui coeptus est, et superior gradus dignitatis Episcopis dari.* Hoc autem Ioannis Apostoli, Clementis item Romani Pontificis, adeoque Ignatii Martyris temporibus, hoc est paulo post ortum Christianismi contigit, quod ex illorum scriptis, et illius aetatis historia omni teste, capite illo tertio probauimus. Quare a postrema saltem Apostolorum aetate mutationem illam esse coeptam affirmare debet, si sibi consentaneus esse vult, quod tamen minime omnium curare consueuit. Iam quod ad tempus perducta sit Episcopatus illa forma, et ratio, idem sibi Trapezita praescribit pag. 419. dum eam defecisse tunc asserit, cum *Episcopo dispensandi res Ecclesiasticas potestas data est, sed cum notitia Presbyterorum, et Diaconorum. vt scirent nimirum, quae bona essent Episcopi propria, quae ad Ecclesiam pertinerent, Canone vltimo Antiochenae Synodi.* Cum igitur in Antiochena Synodo decretum hoc fuerit, vt Episcopus conscijs Presbyteris, et Diaconis res Ecclesiasticas administraret, cum hactenus (pag. 417.) *Hoc proprium munus haberet docere, ac populum praedicatione erudire, orationique tantum vacare, et nullis se aliis Ecclesiasticis negotiis immisceret* nimirum consequens id est, ad annum circiter Christi trecentesimum quadragesimum primum, quo Antiochena illa Synodus Canonem istum edidit, Episcopos in illo statu, et functione perseuerasse.

VI. Quamobrem vnica, et certissima via haec est indoctae, atque falsae refellendae opinionis, si hoc demonstrari, obtinerique potest, toto illo interiecto tempore, Episcopos non solum in orationem, praedicationemque diuini incubuisse Verbi, sed cum maxime in rerum ac pecuniarum Ecclesiasticarum administrationem, ac Sacramentorum praestationem, quae duo ministeriorum genera ab illo statu secundo Trapezita abiudicare est ausus. Ac si mihi cum homine vel pudenti, vel antiquitatum Ecclesiasticarum, historiaeque non imperito res sit, verbo amplius opus non erit. Nam cum infinitis argumentis, et exemplis obrui tam apertum mendacium potest, tum horum pleraque vulgaria, nec in recondita lectione posita sunt. Sed ne tergiuersari coniectores, ac *Lucifugae* vlli queant, *Tertul. lib. de Resur. carn. cap.* 46. *ipsius solis radio scribenda* erunt omnia, vt Tertullianeum hoc vsurpem, ac manifestis antiquorum testimoniis, quasi fidiculis, tum inscitiae ab illis suae, tum catholicae veritatis exprimenda confessio. Hoc igitur agamus. Primus antiquorum testis aduersus Trapezitam pro nobis citabitur Iustinus Martyr Apostolicorum suppar temporum. Qui in Apologia secunda Ecclesiae Christianae instituta, moresque describens, praesertim qui in sacris Synaxibus, ac Sacramentis celebrandis vsurpari tum solebant, omnia per vnum Ecclesiae Praesidem, id est, Episcopum gesta, et administrata esse confirmat, eundemque tum docendi populi, tum Sacramento-

mento-

mentorum impertiendorum, ac pecuniae Eccleſiaſticae curatorem, et moderatorem fuiſſe docet. Primum enim refert, poſt baptizatum illum, qui Chriſtianus fieri voluit, ſtatim illi, qui fratribus praeeſt, offerri panem, et vinum, quae ab illo conſecrata, et corpus ac ſanguis effecta Chriſti, diſtribuuntur in populum. Επειτα προσφέρεται (inquit) τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος, καὶ κράματος etc. Nemini dubium eſt, quin ſingularis ille Praeſes, ὁ προεστὼς τῶν ἀδελφῶν, ſit Epiſcopus toti Eccleſiae, id eſt, fraternitati praepoſitus. Hic igitur tunc Sacramenta conficiebat, eaque per Diaconos populo miniſtrabat, cum iam e numero Presbyterorum exemtus dignitate anteibat omnes. Idem etiam, vt paulo poſt Iuſtinus narrat, Dominica quaque die, poſtquam lectae erant Scripturae Sacrae, ad populum verba faciebat. Εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν, καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται. *Deinde poſtquam Lector deſiit, Praeſe: orationem habet, qua inſtruit, et ad praeclara illa imita:da cohortatur.*

VII. Nec minus ille pecuniarum Eccleſiaſticarum curam gerebat, et eas aſſeruabat, quod ſtatim Iuſtinus commemorat. Οἱ εὐποροῦντες δὲ, καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ὃ βούλεται δίδωσι, καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε, καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις, οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται. Hoc eſt: *Qui locupletes ſunt, et volunt, pro arbitrio quiſque ſuo, quod libitum eſt, contribuit: et quod collectum eſt, apud praeſidem deponitur, atque iis inde opitulatur orphanis, et viduis, iisque, qui vel morbo, vel alia de cauſa egent, tum iis, qui vincti ſunt, et peregre aduenientibus hoſpitibus, et vt uno verbo dicam, omnium indigentium curator eſt.* Haec Iuſtinus, quae Trapezitam foro cedere cogunt, ac vadimonium deſerere. Vides enim, vt idem ὁ προεστὼς, id eſt, *Eccleſiae praepoſitus, et Epiſcopus* populum ex officio docuerit, Sacramenta peregerit, res ac pecunias Eccleſiaſticas adminiſtrarit, ex quibus primum duntaxat Epiſcopo mandauit ille, reliqua duo Presbyteris.

Ceterum quem προεστῶτα vocat Iuſtinus, hunc *Praeſidentem* Tertullianus nominat in libro de Corona militis cap. 3. vbi *Eucharistiae Sacramentum* Chriſtianos ait, *non de aliorum manu ſumere, quam praeſidentium.* Etenim per illa tempora Epiſcopi ipſi fere ſacris operabantur, et Euchariſtiam iis, qui aderant, praebebant. Neque hoc tantum Sacramentum, ſed etiam Baptiſmum praecipuo iure adminiſtrabant; ceteri, vbi maior erat numerus, nonniſi ex Epiſcopi auctoritate. Ita docet Tertullianus ipſe in libro de Baptiſmo, c. 17. *Dandi quidem habet ius*, inquit, *ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri, et Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiae honorem, quo ſaluo, ſalua pax eſt.* Ergo penes Epiſcopum proprie ius fuit Sacramentorum impertiendorum Baptiſmi, et Euchariſtiae; tantum abeſt, vt ſolis Presbyteris commiſſum hoc munus fuerit, Epiſcopis negatum, vt illi, cum eo fungerentur, nonniſi accepto ab illis iure,

auctoritateque facerent. Atque haec sola Sacramenta sunt, quae Trapezita, eiusque symmystae, Romanae communionis hostes pro veris, et christianis asciscunt. Ita nihil est causae, quin grauissimi conuictum se erroris ipse fateatur, qui Sacramentorum curationem Episcopis ademerit, penes quos praecipuum ius illorum fuisse, tam firmis testimoniis ostendimus.

VIII. Sequitur Ignatius Martyr, qui Iustino paulo etiam antiquior est. Huius epistolae septem e duodecim, quae hodie exstant, ab Hieronymo recensentur; ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallenses, ad Romanos, ad Philadelpheos, ad Smyrnaeos, ad Polycarpum. Ex quibus, ceterisque colligas, Episcopum toti Ecclesiae, ac Clericis omnibus praefuisse, vti nulla pars Eccesiasticae rei sine illius auctoritate tractaretur. Ac saepe illud diligenterque commendat, et in singulis epistolis repetit, vt Episcopo pareant vniuersi, praesertim Presbyteri, et Diaconi, neque quidquam, nisi ex eius arbitrio, ac voluntate faciant. Τί γάρ ἐστιν ἐπίσκοπος (ait ad Trallenses scribens) ἀλλ' ἡ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα, πάντων κρατῶν ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν. *Quid est Episcopus, nisi supra omnem Principatum, et potestatem omnibus imperans; quatenus homo imperare potest?* In Epistola vero tertia ad Magnesios, fieri quidquam prohibet absque Episcopo, sicut Christus nihil absque Patre gerit. οὕτω καὶ ὑμεῖς, inquit, ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου, μηδὲ πρεσβύτερος, μὴ διάκονος, μὴ λαϊκός, μὴ δέ τι φαινέσθω ὑμῖν εὔλογον παρὰ τὴν ἐκείνου γνώμην. τὸ γὰρ τοιοῦτον παράνομον, καὶ θεῷ ἐχθρόν. *Ita et vos sine Episcopo* nihil agite, *non Presbyter, non Diaconus, non Laicus, neque res vlla vobis consentanea rationi videatur, praeter illius sententiam. Id enim prauum est, et inuisum Deo.* Sic in aliis, vt diximus, epistolis; nominatim autem in septima ad Smyrnaeos vehementius id inculcat. Μηδεὶς χωρὶς Ἐπισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. *Nemo,* inquit, *sine Episcopo quidquam agat eorum, quae ad Ecclesiam spectant. Illa rata habeatur Eucharistia, quae sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit.* Ac subinde disertius: οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν, ἀλλ' ὃ ἂν ἐκείνῳ δοκῇ κατ' εὐαρέστησιν θεοῦ, ἵνα ἀσφαλὲς ᾖ, καὶ βέβαιον πᾶν ὃ ἂν πράσσητε. *Non,* inquit, *absque Episcopo neque baptizare, neque offerre, neque sacrificium celebrare, neque conuiuium instituere, sed quidquid illi visum fuerit, secundum beneplacitum Dei, vt sit tutum, et stabile, quidquid agetis.* In his Sacramentorum administrationem, et rerum omnium Ecclesiasticarum curationem, Episcopi auctoritati, ac potestati commissam esse demonstrat.

Rursus in octaua epistola, quam scripsit ad Polycarpum, viduarum illi curam commendat, et vt nihil nisi ex eius sententia geratur. Αἱ χῆραι μὴ ἀμελείσθωσαν, μετὰ τὸν κύριον σὺ αὐτῶν φροντιστὴς ἔσο. μηδὲν ἄνευ τῆς γνώμης σου γινέσθω. Tum vt populum hortando admonendoque doceat, et ne Christiani matrimonia nisi ex Episcopi auctoritate copulent. πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι, καὶ ταῖς γαμούσαις μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ κύριον, καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν.

IX. Eadem veteris Ecclesiae disciplina ex antiquis Canonibus Conciliorumque decretis adstruitur, quae Episcopi vnius iudicio, ac potestati summam Ecclesiasticarum rerum omnium permittunt. Imprimis Apostolici Canones, qui etsi in dubium vocantur, nemo tamen dissentit, quin antiquissimi fuerint, praesertim priores quos ad quinquaginta latine vertit Dionysius. Horum tricesimus nonus ita constituit: *Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, et ea velut Deo contemplante dispensit, nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis. quae Dei sunt, condonare. Quod si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione Ecclesiae negotia depraedentur.* Canone deinde 40. *Presbyteri, et Diaconi praeter Episcopum nihil agere pertentent. Nam domini populus ipsi commissus est etc.* Item Canone 41. *Praecipimus, vt in potestate sua Episcopus Ecclesiae res habeat. Si enim animae hominum pretiosa illi sunt creditae, multo magis oportet, eum curam pecuniarum gerere ita, vt potestate eius indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros, et Diaconos, et cum timore, omnique solicitudine ministrentur. etc.* Quin etiam in Canonibus 47. 49. 50. Episcopis praescribit quaedam in dando Baptismo ab illis obseruanda. Non igitur a reliquis curationis Ecclesiasticae partibus exclusi solum docendi munus exercebant, vt falso credidit Trapezita. Quem ne ipsum quidem cunctaturum arbitror, quin pluris istos esse qualescunque Canones fateatur, quam suppostitium illum Damasum, e quo lepidam illam ἐπίςασιν de Episcoporum officio concinnauit. Pluris item eodem illo Pseudodamaso constitutiones Apostolicas Clementis faciat, in quibus Episcopo mandatur omnium cura rerum Eclesiasticarum.

X. Nam lib. 2. cap. 11. Episcopum ait praeesse omnibus hominibus. Διὰ τῦτο οὖν ἐπίσκοπε σπέδαζε καθαρὸς εἶναι, τοῖς ἔργοις γνωρίζων τόν πρέπον σε, καὶ τὴν ἀξίαν, ὡς Θεȣ̃ τύπον ὁ ἔχων ἐν ἀνθρώποις τῶν πάντων ἄρχειν ἀνθρώπων, ἱερέων, βασιλέων, ἀρχόντων, υἱῶν, διδασκάλων. καὶ πάντων ὁμȣ̃ τῶν ὑπηκόων, καὶ ὅτως ἐν ἐκκλησίᾳ καθέζȣ τὸν λόγον ποιȣ́μενος, ὡς ἐξȣσίαν ἔχειν κρίνειν τȣ̀ς ἡμαρτηκότας. ὅτι ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις εἴρηται, ὃ ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσαι δεδεμένον ἐν τῷ ȣ̓ρανῷ. καὶ ὃ ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι λελυμένον ἐν τῷ ȣ̓ρανῷ. *Quocirca stude*, inquit, *o Episcope! purus esse, factis ipsis mores tuos indicans, ac dignitatem, vtpote qui inter homines exemplar habes Deum, hoc ipso, quod omnibus imperas hominibus, sacerdotibus, regibus, magistratibus, patribus, filiis, magistris, atque omnibus simul subiectis. Ita porro in Ecclesiae sede sermonem facieas, vt qui potestatem habeas iudicandi eos, qui peccauerunt; quoniam vobis Episcopis dictum est: Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque solueritis super terram, erit solutum et in coelis.* Non haec, opinor, in eos quadrare possunt, qui praeterquam praedicandi Verbi diuini, nullum aliud in Ecclesia munus sustinent, quales Episcopos aetate illa fuisse Trapezita commentus est; sed summum, absolutumque magistratum indicant, qui sacris rebus, et Ecclesiasticis nulla praesit excepta, praesertim vero Sacramentis, quorum dispensatio ad ligandi atque soluendi potestatem refertur. De qua vide, si lubet, caput eiusdem libri 16. 18. 20. et 21. in quibus plenam tum in peccatores poe-

nitentiae ſubiectos, tum in ceteras Eccleſiaſticae rei partes, poteſtatem permittit Epiſcopis. Nominatim vero pecuniarum ſacrarum, quae ex decumis, et vltro tributis, atque oblationibus fidelium, Eccleſiae proueniunt, adminiſtrationem concedit, cap. 25. earumque diſtributioni praeeſſe iubet. Et cap. 27. προσήκει οὖν καὶ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, τὰς θυσίας ὑμῶν, ἤτοι προσφορὰς, τῷ ἐπισκόπῳ προσφέρειν, ὡς ἀρχιερεῖ, ἢ δι᾽ ἑαυτῶν, ἢ διὰ τῶν διακόνων. οὐ μὲν δὲ ἀλλὰ καὶ τὰς ἀπαρχὰς, καὶ τὰς δεκάτας, καὶ τὰ ἑκούσια αὐτῷ προσάγετε. αὐτὸς γὰρ γινώσκει τοὺς θλιβομένους, καὶ ἑκάστῳ δίδωσι πρὸς τὸ ἁρμόζον. *Oportet igitur et vos, fratres, ſacrificia veſtra*, id eſt, *oblationes offerre Epiſcopo, tanquam Pontifici, ſiue per vos, ſiue per Diaconos. Sed et primitias, et decumas, et quae ſponte offeruntur. Is enim probe nouit adflictos, et vnicuique, prout congruum eſt, tribuit.* Vide inſuper cap. 31. et 32. capite vero 34. Epiſcopum ornat ampliſſima poteſtate, ac iurisdictione, quam in eo ſitam agnoſcit: *Quod eos ligare poteſt, aut ſoluere, qui poena digni ſunt, aut venia. Ideo Epiſcopum*, inquit, *amare debetis vt patrem, vt regem metuere, honorare vt dominum, eique fructus veſtros, et manuum opera veſtrarum ad benedictionem promerendam offerre, primitias veſtras, decumas, et oblationes, ac dona dantes, tanquam Sacerdoti Dei.* Δεσμεύει γὰρ αὐτὴ, καὶ λύει τοὺς τιμωρίας, ἢ ἀφέσεως ἀξίους. διὸ τὸν ἐπίσκοπον στέργειν ὀφείλετε ὡς πατέρα, φοβεῖσθαι ὡς βασιλέα, τιμᾶν ὡς κύριον. τοὺς καρποὺς ὑμῶν, καὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν ὑμῶν εἰς εὐλογίαν ὑμῶν προσφέροντες αὐτῷ, τὰς ἀπαρχὰς ὑμῶν, καὶ τὰς δεκάτας ὑμῶν, καὶ τὰ ἀφαιρέματα ὑμῶν, καὶ τὰ δῶρα ὑμων διδόντες αὐτῷ, ὡς ἱερεῖ θεοῦ. Plura non addam ſcriptoris huius, quae ſunt innumera, et apud ipſum vtilius legentur.

XI. Iam Canones veterum Conciliorum, et uſus Eccleſiae per idem tempus, ac tota Chriſtianae ſeries hiſtoriae vera eſſe demonſtrant, quae adverſus Trapezitarum patronum contendimus. Etenim diſciplina omnis Eccleſiaſtica Clericorum, et ordinum omnium gubernatio, poenarum itidem modus, et poenitentiae functio, ac ius denique ad Sacramenta percipienda, et eorum adminiſtratio decretorum ſynodicorum auctoritate paſſim in Epiſcopos confertur. Conſulantur Canones Nicaenae Synodi v. 11. 12. in quibus repraeſentandae communionis poteſtas Epiſcopo tribuitur, vt pro arbitrio legitimum tempus, vel contrahat, vel proroget iis, qui poenitentiam obeunt. Epiſcopo, inquam, eiusmodi, quem et vnum tantum in ciuitate qualiber, Canone 8. eſſe iubet, et in eius voluntate ſitum eſſe, vt Epiſcopis ad Catholicam partem ab haereſi tranſeuntibus, Epiſcopalis duntaxat nominis dignitatem permittat. Sic Laodicenum Canone 19. poenitentium curam Epiſcopo mandat; et Canone 57. Presbyteris praecipit, vt nihil ſine conſenſu Epiſcopi gerant: Τοὺς πρεσβυτέρους μηδὲν πράττειν ἄνευ τῆς γνώμης τοῦ ἐπισκόπου.

Ancyrana quoque Synodus Can. 2. et 5. vel 4. vt a Dionyſio exiguo numerantur, Epiſcopi iudicio relinquit poenitentiae modum, quo vno in cardine Sacramentorum, et communionis Eccleſiaſticae ſumma vertitur. Canone vero 15. bonorum Eccleſiae curam ac poteſtatem

eidem committit Episcop. περὶ δὲ τῶν διαφερόντων τῷ κυριακῷ, ὅσα ἐπισκόπε μὴ ὄντος πρεσβύτεροι ἐπώλησαν, ἀνακαλεῖσθαι τὸ κυριακόν. ἐν δὲ τῇ κρίσει τῦ ἐπισκόπε εἶναι, εἴπερ προσήκει ἀπολαβεῖν τὴν τιμὴν εἴτε, κὴ μή, etc. hoc est, vt Dionysius interpretatur. *De his, quae pertinent ad Ecclesiam, quaecunque, cum non esset Episcopus, Presbyteri vendiderunt; placuit, rescisso contracta ad iura Ecclesiastica revocari. In iudicio autem erit Episcopi, si pretium debeat recipi.*

Gangrensis item Synodus, quae Nicaenam antecessisse creditur, Can. 7. et 8. anathema dicit iis, qui oblationes Ecclesiae, citra consensum Episcopi dare, aut accipere ausi fuerint, aut eius certe, quam illis colligendis, et administrandis Episcopus praefecerit. Quare penes Episcopum fuit non solum institutio populi, ac praedicatio diuini Verbi, sed etiam Sacramentorum, ac bonorum Ecclesiasticorum tractatio, quod Trapezita praefracte negat.

XII. Adde nunc, si lubet, exempla plurimorum Episcoporum, quae in historiis occurrunt illorum temporum, ex quibus eosdem liquido constat et diuini Verbi, et Ecclesiasticarum omnium functionum ius habuisse, non autem Presbyteros, quibus Episcopi Sacramentorum impertiendorum potestatem facerent, eamque pro arbitrio relaxarent, aut restringerent. Scribit apud Eusebium Caesariensem Libro 6. cap. 34. Dionysius Alexandrinus Episcopus, se Presbyteris praecepisse, vti lapsis sub exitum vitae communionem darent. Multa porro eiusdemmodi apud Cyprianum, tam ab ipso constituta, quam ab aliis Episcopis, memoriae ptodita sunt; quae vel nunquam legit Trapezita, vel si legit, doceat nos, qua fronte tantum paginarum in re falsissima contra illius auctoritatem asseueranda perdiderit: *Episcopum ille iudicem a Deo datum* nominat, et *Ecclesiae gubernatorem*, epistola 69. Idem *schismata, et haereses inde obortas esse, et oriri* dicit, *dum Episcopus, qui vnus est, et Ecclesiae praeest, superba quorundam praesumtione contemnitur.* Non igitur simplex curatio sine iurisdictione ac potestate fuit, id est ἐξουσία, vt putat Trapezita. Idem porro Cyprianus Episcopalis partem muneris fuisse demonstrat Sacramentorum administrandorum ius, auctoritatemque, dum Puppianum Schismaticum, qui ipsum negabat Episcopum esse verum, ac legitimum, sic irridens refellit: *Quis enim hic est superbiae tumor, quae arrogantia animi, quae mentis inflatio, ad cognitionem suam praepositos, et Sacerdotes vocare, ac nisi apud te purgati fuerimus, et sententia tua absoluti, ecce iam sex annis nec fraternitas habuerit Episcopum, nec plebs praepositum, nec grex pastorem, nec Ecclesia gubernatorem, nec Christus antistitem, nec Deus Sacerdotem? Subueniat Puppianus, et sententiam dicat, et iudicium Dei, et Christi in acceptum referat, ne tantus fidelium numerus, qui sub nobis accersitus est, sine spe salutis, et pacis exisse videatur; ne nouus credentium populus nullam per nos consecutus esse Baptismi, et Spiritus sancti gratiam iudicetur; ne tot lapsis, et poenitentibus pax data, et communicatio nostra examinatione concessa, iudicii tui auctoritate soluatur. Annue aliquando, et dignare pronunciare de nobis, et Episcopatum nostrum cognitionis tuae auctoritate firmare, vt Deus, et Christus eius agere tibi gratias possint, quod per te*

sit antistes, et rector altari eorum pariter, et plebi restitutus.

XIII. Hinc Episcopos apparet Sacramenta dispensasse, ac iure suo, et proprio illorum administrationi praefuisse. Nam Baptismum, Confirmationem, Poenitentiam, et Altaris Sacrificium in eorum fuisse potestate significat, quod ipsum passim et in plerisque illius epistolis, ac libris exstat, in quibus de lapsis ad poenitentiam admittendis, ac reconciliandis, id est, communione Ecclesiastica, et Sacramento Altaris impertiendis, aut contra reiiciendis, ac differendis praecepta dat; et quid in eo genere obseruari velit a Clericis, edicit. Nec minus pauperum curam gerit, vt viduarum, et eorum, qui pro Christi nomine multa perpessi ad inopiam redacti erant; nec non Clericorum, quibus ex Ecclesiae bonis prospici iubet, et eisdem ampliorem dignitatis gradum decernit. An vero pars est vlla Ecclesiasticae rei, cuius non curam, ac solicitudinem praeseferant, vt non alienam, aut ad alios pertinentem, sed tanquam pastoralis, et episcopalis officii propriam? cum interim alteram in partem nihilo secius intentus esset, quae in docendo populo, ac verbo Dei praedicando posita est. *Quid enim aliud in Ecclesia Domini* (ait in libro de bono pudicitiae) *vtilius geri, quid accommodatius officio Episcopi potest inueniri, quam vt doctrina diuinorum per ipsum insinuata, collataque verborum, possint credentes ad repromissum regnum peruenire coelorum.*

XIV. Rursus actus omnes Ecclesiae ab Episcopis gubernari, idem diserte in libro de lapsis ait: *Inde per temporum, et successionum vices*, inquit, *Episcoporum ordinatio, et Ecclesiae ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem Episcopos gubernetur.* Sic in epistola 38. in Felicissimum schismaticum inuehitur, *qui a pastore oues, et filios a parente separare, et Christi membra dissipare tentauerat.*

In eadem epistola, quam ad Episcopos sibi subiectos, et Presbyteros scribit, affirmat, se illos *pro se vicarios misisse, vt expungeretis*, inquit, *necessitates fratrum nostrorum sumtibus etc*; vt adpareat, pecuniarum Ecclesiasticarum dispensationem per id tempus in Episcopi cum maxime fuisse potestate. Tum de eodem Felicissimo, *cumque post haec omnia nec loci mei honore motus*, (inquit) *nec vestra auctoritate et praesentia fractus, etc.* Vbi ἀξίαν, id est, *dignitatem*, siue *honorem* Episcopatui suo vindicat, non minus contra Trapezitam, quam contra Felicissimum Schismaticum. Vtitur et eadem *honoris* voce, addita etiam et altera non minus splendida *potestatis*, idem Cyprianus in epistola 56. ad Rogatianum Episcopum de Diacono quodam re, et nomine Superbo, de quo ita praecipit: *Quod si vltra te contumeliis suis exacerbauerit, et prouocauerit, fungeris circa eum potestate honoris tui, vt eum vel deponas, vel abstineas.* Quibus in verbis et Episcopalis ordinis dignitas, atque honor, et honori adiuncta potestas apparet, ac iurisdictio: quod vtrumque Trapezita non sine sacrilegio Episcopis audet eripere. Atqui ambo ista vna, cum Episcopatu ipso ab huius auctore, et institutore Christo ei indita fuisse, non vsu consequentium temporum inuecta, passim et Cyprianus, et alii omnes antiqui docent. Chrysosto-

mus certe Homilia 3. in epiſtolam ad Coloſſ. eam vocat πνευματικὴν ἀρχὴν, *ſpiritualem principatum*, vel *magiſtratum*, cui θρόνον et προεδρίαν aſſignat ex inſtitutione Chriſti, Ἕως δ᾽ ἂν ἐπὶ τῦ θρόνυ τύτυ καθήμεθα, inquit, ἕως ἂν τὴν προεδρίαν ἔχωμεν, ἔχομεν καὶ τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν ἰσχὺν, εἰ καὶ ἀνάξιοί ἐσμεν. εἰ ὁ Μωϋσέως θρόνος ὕτως ἦν αἰδέσιμος, ὡς δι᾽ ἐκεῖνον ἀκύεσθαι. πολλῷ μᾶλλον ὁ τῦ χριςῦ θρόνος, ἐκεῖνον ἡμεῖς διεδεξάμεθα ἀπὸ τύτυ φθεγγόμεθα, ἀφ᾽ ὗ καὶ ὁ χριςὸς ἔθετο ἐν ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς. *Quamdiu vero in throno iſto ſedemus, quamdiu praeſidendi ius habemus, et dignitatem habemus, et vim, tametſi indigni ſumus. Si Moſis thronus tanta in veneratione fuit, vt eius gratia illi auſcultaretur, multo in maiore debet eſſe thronus Chriſti. In eum nos ſucceſſimus, ex eo verba facimus, a quo Chriſtus poſuit in nobis miniſterium reconciliationis.* Habet igitur Epiſcopatus Chriſtianus, ex auctoritate conditoris ſui Chriſti, illa omnia, quae Trapezita detrahit, ἀξίαν, id eſt, *dignitatem*, προεδρίαν, *praeſidentiam*, vt ita dicam, *thronum* ſummae inſigne poteſtatis: ἰσχὺν, id eſt, *vim et auctoritatem*, qua ad coercendum, et cogendum vtantur interdum, ac cetera denique magiſtratus, ac principatus propria, quae in nudam curationem cadere omnino nequeunt.

C A P V T VII.

Pergitur in refellenda Trapezitae ſententia: quae Epiſcopatum negat dignitatem fuiſſe, ſed ſolam facit curationem. Oſtenditur e contrario Epiſcopos poteſtatem ac iurisdictionem habuiſſe; tum longe iudaicis ſacerdotibus ampliorem. Quid ſit poteſtas clauium, de qua Trapezitae falſa opinio notatur.

I. Qui ſtrictim a nobis antecedenti capite, ſummatimque libata veterum teſtimonia de Epiſcoporum officio legerit, multoque magis, qui illorum ex libris pleniorem huius rei notitiam hauſerit, ſatis admirari poterit fuiſſe quemquam hoc tempore tanta confidentia praeditum, vt de Epiſcopis tam illis contraria, tam ad hunc diem inaudita proferret (Trapezit. pag. 412. 123. et 530.) vt hoc dicere auderet, fuiſſe munus Epiſcoporum non dignitatem aliquam, ac magiſtratum Eccleſiaſticum, ſed nudam ſine poteſtate curationem, ac iurisdictione vacuam, tum quae pag. 532. praeter omnem modum abſurda, commentitiaque ſcripſit, quae quidem verbis illius referam: *Presbyteri*, inquit, *in ſynagoga iudaica etiam iudicandi poteſtatem habuerunt: at in Chriſtiano presbyterio, Epiſcopi curationem tantum. Vnde et* ἐπίσκοποι *ſunt adpellati*, id eſt, *curatores. Prouiſione quippe animi, et corporalis laboris intentione, partim in docendo populo, partim in diſpenſandis rebus Eccleſiaſticis, et Sacramentis adminiſtrandis erant occupati, vbi vero dignitas eſſe coepit, et honos, quod olim curatio tantum fuerat*, id eſt,

ἐπισκοπή, *tum ea officia, quae curationis erant, certis personis attributa sunt, quae non crearentur per manuum impositionem, sed per promotionem*, id est, προβολὴν *ut oeconomi Ecclesiae, et defensores, qui Graecis* ἔκδικοι. Haec infinite dicta, neque distincta satis, sed incondita, atque perplexa, nullam certam, ac liquidam notionem lectoribus offerunt. Nihil est in illis tamen, quod vtcunque perceptum, extricatumque sit, non ad summam vel inscitiam, vel haeresim implicatum appareat.

II. Primum inter synagogae iudaicae Presbyteros, et Episcopos discrimen illud posuit, quod illi iudicandi potestatem habuerint, Episcopi ea caruerint, sola curatione circumscripti. Etsi non diserte significat, de qua iurisdictione loquatur ciuili, vel externa, an spirituali; tamen de spirituali perspicuum est, ab illo ista dici. Nam Episcopatus spiritualis est praefectura, quae per se ad animam refertur, et sempiternam salutem; ad corpus autem, et externarum rerum procurationem ex accidenti. Itaque qui iudicandi potestatem detrahit Episcopis, spiritualem iis iurisdictionem adimit: *Matth.* 16. 18. et cap. 18. 18. Et vbi illa est *ligandi* potestas, atque *soluendi*, quam Apostolis, et per Apostolos eorum successoribus Episcopis mandatam a Christo, concilia omnia, omnia veterum Patrum monumenta testantur? Quid enim *ligare* atque *soluere* aliud est, quam iudicare, ac vel damnare, vel absoluere, quae est duplex iudicum functio.

Iudiciariam certe potestatem verbis illis a Christo datam esse Petro Apostolorum Principi, credidit Cyprianus epistola 27. adeoque Apostolis proportione ceteris, et eorum successoribus Episcopis. *Vt Ecclesia*, inquit, *super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur*. Quod quidem saluo Petri, ac successorum eius principatu Catholica pietas intelligit. Agnoscit item Hilarius Canone 16. in Matthaeum, dum *eius arbitrio claues aeterni aditus illi traditas* scribit, *cuius terrestre iudicium praeiudicata auctoritas sit in coelo.* Credidit et Hieronymus, qui in epistola ad Heliodorum Apostolos omnes, in quos iisdem verbis non dissimilem potestatem contulit, *claues regni coelorum habentes* asserit, *quodammodo ante diem iudicii iudicare*. Nec aliter omnes antiqui Patres, qui eandem potestatem mortalibus a Deo concessam infinitis laudibus, et cum ingenti admiratione praedicant.

III. Praecipue vero Chrysostomus in lib. 3. de sacerdotio hoc est Episcopatu, in quo mirifica quaedam de amplissima illa potestate, ac iurisdictione scribit, quibus Trapeziticae, ac foenebris rei patrono os occludit. Expendantur primum ista, et cum pusillae mentis, ac iudicii illius angustiis conferantur, qui solam sine potestate curationem Episcopis attribuit. (pag. 16. tom. 6. Sau.) Οἱ γὰρ τὴν γῆν οἰκοῦντες, καὶ ἐν ταύτῃ ποιούμενοι τὴν διατριβὴν, καὶ τὰ ἐν οὐρανοῖς διοικεῖν ἐπετράπησαν, καὶ ἐξουσίαν ἔλαβον, ἣν οὔτε ἀγγέλοις, οὔτε ἀρχαγγέλοις ἔδωκεν ὁ Θεός. οὐ γὰρ πρὸς ἐκείνους εἴρηται. ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι δεδεμένα καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ. καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. ἔχουσι μὲν γὰρ οἱ κρατοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς τοῦ δεσμοῦ ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμά-

σωματων μόνον. οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανούς. καὶ ἅπερ ἂν ἐργάσωνται κάτω οἱ ἱερεῖς, ταῦτα ὁ Θεὸς ἄνω κυροῖ, καὶ τὴν τῶν δούλων γνώμην ὁ δεσπότης βεβαιοῖ. καὶ τί γαρ, αλλ', ἢ πᾶσαν αὐτοῖς τὴν οὐράνιον ἔδωκεν ἐξουσίαν. *Nam qui terram incolunt*, ait, *et in ea commorantur, iis commissa est coelestium administratio, ac potestatem acceperunt, cuiusmodi nec Angelis, nec Archangelis tribuit Deus. Non enim dictum est his: Quaecunque ligaueritis in terra, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solueritis in terra, erunt soluta et in coelo. Habent enim et ii, qui in terra dominantur, vinciendi potestatem; sed in corpora duntaxat. Illud autem vinculum animam attingit ipsam, et coelos ipsos penetrat. Et quaecunque infra Sacerdotes egerint, haec supra Deus rata facit, ac seruorum suorum sententiam confirmat. Et quid aliud, quam coelestem illis omnem tradidit potestatem?* Mox vero Regis affert exemplum, qui quos velit, in carcerem detrudendi potestatem alicui dederit, et quos velit, a vinculis liberandi. Sacerdotes vero longe isto potestatem ampliorem a Deo consecutos asserit, et infinite maiori dignitate esse praeditos. Quam eandem similitudinem accommodat, et homilia 86. in Ioannem ad illa Christi verba: *Quorum remiseritis peccata etc.* Quaenam ergo dignitas, ac potestas esse potest quaeue iurisdictio, si haec non est?

IV. Quod autem Iudaeorum Presbyteris iudicandi functionem Trapezita dat, Christianorum Presbyteris, id est, Episcopis adimit; quantum opinione sit falsus, paullo post idem demonstrat Chrysostomus, dum ambos inuicem confert, et iudaicos leprae non curandae, ac tollendae, sed probandae duntaxat, an sanata iam esset; potestatem habuisse dicit: Episcopos vero non corporum sed animorum lepram, et impuritatem, non sanatam probandi ius habere, sed sanandi penitus, et ab ea liberandi: οὗτοι δὲ οὐ λεπραν σώματος, ἀλλ' ἀκαθαρσιαν ψυχῆς οὐκ ἀπαλλαγεῖσαν δοκιμάζειν, ἀλλ' ἀπαλλάττειν παντελῶς ἔλαβον ἐξουσίαν.

Ita Cassianus libro 3. de Incarnatione cap. 14. Apostolum ait, *potestatem quodammodo diuinitatis accepisse, vt quae ligasset, vel soluisset in terr.s vel ligata essent in coelestibus vel soluta.*

Ex iis haereticorum, et inter hos Trapezitae, μικρολογία constringitur, qui non isto tantum in libro, qui de Trapezitico foenore inscribitur, sed alio in loco Episcoporum dignitatem adeo in arctum cogit, vt ligandi soluendique potestatem non aliter definiat, quam eo munere, quo ostiarii fungebantur, quod in eo situm erat, vt in permittendo aditu Ecclesiae *bonos a malis discernerent* (ait Iuo Carnotensis sermone 2. de rebus Eccles.) Ita ille ligare nihil aliud esse putat, quam Ecclesia interdicere, soluere, liberum in Ecclesiam aditum dare. Nam et coelorum regnum, cuius claues Petro datae sunt a Christo, Ecclesiam interpretatur, non falso tantum, sed etiam inepte, vt Petauius in Miscell. Exercit. ad Iul. c. 16. demonstrauit.

V. Hoc haereticum fermentum damnant pene omnes Graeci, Latinique Patres, qui de potestate illa Episcopis, ac Sacerdotibus pro cuiusque munere concessa aliter iudicant, vt ex paucis quae attuli, testimoniis constat, quibus

vnum, alterumue libet addere. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 14. Eliam cum Petro comparans, Ηλίας μὲν, inquit, ἀνελήφθη εἰς ὐρανὸν ἀλλά πέτρος ἔχει τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν ὐρανῶν. *Elias in coelum assumtus est; at Petrus claues habet regni coelorum* Tom. 1. Bibliot. graecol. p. 1215. Antiochus Homilia. 122. Οὐκ εἶπεν, inquit, ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔςαι δεδεμένα ἐπὶ τῆς γῆς. ἀλλ' ὅσα ἂν δήσης ἐπὶ τῆς γῆς, ἔςαι δεδεμένα ἐν τοῖς ὐρανοῖς, ἵνα καὶ ποιῶν ἀκοινώτητον, ἢ κωλύων, ἢ καθαιρῶν, φοβερὸν ἔχοις τὸ πρᾶγμα. ὡς σύμψηφον καλῶν τὸν θεὸν, ὡς ὑπὸ μάρτυρι τῶν εν τοῖς ὐρανοῖς τῦτο ποιῶν. καὶ ὁ κωλυόμενος, ἢ καθαιρέμενος φρίττῃ, ὡς ἔξω βαλλόμενος ὐρανῶν βασιλείας. ὅρα, φησὶν, ὁ πράτεις, ἱερεῦ. ἃ κάτω δεσμεῖς, ἄνω λογοθετεῖσθαι προσδόκησον. *Non dixit, quaecunque ligaueritis in terra, erunt ligata in terra; sed quaecunque ligaueritis in terra, erunt ligata in coelo; vt quando a communione repelles, vel interdices, vel depones, formidolosam rem esse ducas, vtpote qui sententiae adstipulatorem adhibeas Deum, tamquam illo teste, qui in coelo est, id agens. Et vt vicissim is, cui interdicitur, aut qui deponitur, perhorrescat, velut extra regnum coelorum eiectus. Vide*, inquit, *o Sacerdos, quid agas. Quae infra alligas, horum in supernis rationem habendam existima.* Manifestum est ex illis omnibus Patrum decretis, regnum coeleste non esse huius temporis Ecclesiam, vt pessime interpretabatur Trapezita noster, sed coelum ipsum, cuius claves Petro tradidit Christus, ac potestatem illam ligandi, soluendique, ius esse, non ab Ecclesia solum eiiciendi, vel in eam introducendi, sed ad coelum vsque pertingere.

VI. Hanc vero iudiciariam esse functionem, nemo non agnoscit, nisi qui plane desipit. *Ius enim hoc solis permissum est Sacerdotibus*, ait Ambrosius libro 1. de Poenitentia, cap. 2. et Pacianus epistola 1. Itaque Sacerdotalibus officiis continetur. Et quidem Caluinus Lib. 4. Inst. c. 6. §. 4. solo iure praedicandi iurisdictionem definit istam, dum *clauium vocem, et ligandi modum* sic explicat: *Quoniam Euangelii doctrina nobis*, inquit, *Coeli aperiuntur. Porro non alio modo ligantur, et soluuntur homines, nisi dum fides alios reconciliat Deo, alios sua incredulitas magis obstringit.* Et in Commentario ad Harmoniam Euangelicam locum enarrans illum Matthaei 16. *Dabo tibi claves etc. Clauium*, inquit, *similitudo concinne ad docendi munus aptatur.* Hinc apparet, quibus ex fontibus suum illum riuulum duxerit Trapezita, qui Episcopatum, eiusque summum, ac praecipuum munus sola docendi, ac praedicandi functione metitur. Quamquam turpius in eo, quam Caluinus ipse, peccat, quod *regnum coelorum*, vt iam diximus, militantem in terris Ecclesiam esse putat, cum coelum ipsum proprie dictum Caluinus intellexerit. Sed de potestate ligandi, et soluendi, deque clauibus Petro traditis, longe diuersa ab indoctis istis Scripturarum mangonibus vetustas omnis Ecclesiastica docuit. Nam Sacramentorum administratione, et sententia contineri iudicauit, qua ab vsu sacrorum arcentur, aut ad ea fideles admittuntur. Ita Cyprianus in epistola ad Lapsos 27. et in Epistola 73. ad Iubaianum, de iis Christi verbis agens, quibus Ioannis 20. remittendi potestatem, aut retinendi peccati tribuit Apostolis, ad Baptismi, et

remissae peccatorum, id est poenitentiae dandae ius illa refert. Idem et Hieronymus censet epist. 150. Quaest. 9. Chrysostomus item pag. 16. edit Sauil. Lib. 3. De Sacerdotio, vbi ad Baptismum Eucharistiam addit.

VII. Cyrillus etiam Alexandrinus lib. 12. in Ioannem, postquam illud a Christo deriuatum in Apostolos remittendorum ius peccatorum, non ad falsarii Trapezitae iudicium, sed ad veritatis regulam exactum amplissimo praeconio celebrauit, vt diuinam esse potestatem illam, et dignitatem assereret: τὸ μόνη, inquit, πρέπον ἀξίωμα τῇ θείᾳ φύσει ταῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς περιέθηκεν ὁ σωτήρ. *Soli diuinae naturae congruentem dignitatem discipulis suis Saluator attribuit.* Id autem qua ratione ab illorum successoribus exerceri in Ecclesia soleat, postea sic explicat. Ἀφιᾶσι γε μὴν ἁμαρτίας, ἤτοι κατέχουσιν οἱ πνευματοφόροι κατὰ δύο τρόπους, κατά γε διάνοιαν ἐμὴν, ἢ γάρ καλοῦσιν ἐπὶ τὸ βάπτισμα τοὺς, οἷς ἂν ἤδη τοῦτο τυχεῖν ὠφείλετο διὰ τὴν τοῦ βίου σεμνότητα, καὶ τὸ δεδοκιμασμένον εἰς πίστιν, ἢ διακωλύουσι τινὰς, καὶ τῆς θείας χάριτος ἐξείργουσιν ἔτι οὔπω τέως γεγονότας ἀξίους. ἢ καὶ καθ᾽ ἕτερον τρόπον ἀφιᾶσι τε, καὶ κρατοῦσιν ἁμαρτίας, ἐπιτιμῶντες μὲν ἁμαρτάνουσι τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις, μετανοοῦσι δὲ συγγινώσκοντες Hoc est. *Remittunt porro peccata, vel retinent Spiritu afflati homines duobus, vt arbitror, modis. Vel enim ad Baptismum vocant eos, quibus illius copia fieri debet, propter vitae honestatem, et probatam fidem. Vel prohibent aliquos, et a diuina gratia reiiciunt, quod nondum ea se dignos praebuerint. Vel alio modo remittunt, retinentue peccata, dum Ecclesiae filios vel peccantes castigant, vel poenitentibus ignoscunt.*

VIII. Quapropter non in praedicatione diuini verbi vsus potestatis clauium situs est, sed in Sacramentis administrandis, Baptismi praesertim, Poenitentiae, et Eucharistiae, quorum ius omne penes Episcopos erat, nempe vt aut per se illa fidelibus impertirent, aut Presbyteros, ac Diaconos pro suo quemque munere vicarios illius gerendae functionis adhiberent. Notum enim est moris Ecclesiastici peritis probandorum catechumenorum, et ad Baptismum, et Eucharistiam admittendorum ius, et officium proprium Episcoporum fuisse; nec non ad communionem, et Sacramentorum vsum recipiendorum poenitentium. Quam ob causam sanctissimi illi, quos testes adduxi, et quos, ne essem longior, omisi, Patres, ligandi atque soluendi, siue remittendi, aut retinendi peccata, siue denique clauium potestatem datam Episcopis per Apostolos fuisse testantur. Quae res non oneris tantummodo, sine dignitate functionem, non docendi, ac praedicandi munus, non aliud denique, quam ius, potestatem, magistratum, iurisdictionem, vt in rebus Ecclesiasticis amplissimam ostendit, ac multo praestantiorem, quam quae Iudaicis Presbyteris tributa fuit in antiqua lege.

CAPVT VIII.

Praedicandi ius ac functionem penes Episcopos fuisse demonstratur aduersus indoctum Trapezitae Commentum, idque variis Patrum, ac Conciliorum testimoniis asseritur.

I. Reliquus ex Trapezitae partitione (pag. 418.) tertius est Episcoporum status, in quo *docendi munere abiecto ex muniis Presbyterorum quaedam sibi praecipua sumere coeperunt, quae non liceret Presbyteris attingere, sed Episcopi soli agere possent; vt erat poenitentium reconciliatio, et Chrismae confectio, et puellarum consecratio, et alia quaedam.* (Idem pag. 419.) Addit insuper, per idem tempus *Episcopo dispensandi res Ecclesiasticas potestatem datam esse, sed cum notitia Presbyterorum, et Diaconorum, canone vltimo Antiochenae Synodi.* Ex quibus liquet, circa Antiocheni Concilii tempus, mutationem hanc Episcopalis ordinis institutam fuisse, ac deinceps *docendi munus Episcopos abiecisse.* Hunc enim postremum statum recenset τῆς ἐπισκοπῆς Trapezita. Iam hoc inusitatum, et immane portentum est erroris, affirmare, quarto Christianae Ecclesiae seculo, ac deinceps Episcopos a docendo, et praedicando Dei verbo destitisse. Atqui euidens est, tum maxime ei rei dedisse operam Episcopos; idque passim Synodicis decretis, et canonibus illis iniunctum fuisse. Nulla est ad vsum Ecclesiae, ac mores inuestigandos, et quod cuiusque ius ordinis Ecclesiastici sit, officiumque discernendum alia ratio, quam conciliorum, et canonum decreta, quibus omnis Ecclesiae disciplina continetur, Patrum, et Ecclesiae Doctorum, qui eadem aetate florebant, testimoniis approbata. At id persaepe, grauiterque scimus Episcopis esse mandatum, vt diuini verbi pabulo commissum sibi gregem reficerent. Carthaginense quartum canone 20. sanxit, *vt Episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet, sed vt lectioni, et orationi, et verbi Dei praedicationi tantummodo vacet.* Canone item 24. *Sacerdote* (is est Episcopus) *verbum faciente in Ecclesia, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.*

II. Hilarius in octauo Libro de Trinitate. *Non statim boni, atque vtilis Pastoris est,* ait, *aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter praedicare, cum et innocens sibi tantum proficiat nisi doctus et doctus sine doctrinae sit auctoritate, nisi innocens sit etc. Sed perfectum Ecclesiae Principem perfectis maximarum virtutum bonis instituit* (Apostolus) *vt et vita eius ornetur docendo, et doctrina viuendo.*

Prosper Libro de vita contemplatiua cap. 20. qualem esse deceat Episcopum, docens, inter alia, quod Ezechiel speculatorem illum esse dicit, id velle asserit, *oportere Sacerdotem propositi sublimitate celsiorem esse cunctis, et maioris scientiae habere gratiam, qua possit sub se viuentes instruere.*

Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 208. ad Hermogenem Episcopum scribens, Episcopalis esse muneris docet non solum verbo docere, quod plerosque tum

vnum instituisse quaeritur, sed virtuti insuper studere; ὐ τοσῦτον γὰρ ὁ λόγος, ὅσον ὁ τρόπος τῶν διδασκόντων παρὰ θήγειν πέφυκεν. οἱ δ' ὥσπερ τὸ λέγειν μόνον ἐμπιστευθέντες, τῦ πράττειν ἀπέχονται. ὢς καὶ στηλιτεύων ὁ μὲν θεῖος Αποστόλος ἔφη. ὁ κηρύττων μὴ κλέπτειν, κλέπτεις. *Non oratio docentium perinde animos acuere solet, ut vita, et mores. A isti non secus, ac si ipsis dicendi duntaxat mu. us, commissum fuisset, ab actione abstinent. Quos etiam proinde incessens, ac proscindens diuinus Apostolus his verbis usus est: Qui praedicas non esse furandum, furaris etc.* vide et epistolam 235.

III. Sed quo vehementius prodigium illud erroris elidatur, Conciliorum aliquot canones in medium afferam, qui longe post illud tempus editi sunt, quo tempore Trapezita praedicandi munus eiurare coepisse putat Episcopos. Nam si id vnquam in Ecclesia factum est, ab incorrupta illa, et Apostolica aetate distant; eo disciplina solutior fuit, ac tum Clerici reliqui, tum Episcopi praesertim, in otium ac licentiam incubuerunt. Idque praedicandi officium laboriosum vtique ac molestum detrectasse tunc istos, et in Presbyteros traiecisse, verisimile esset, si hoc vnquam gestum esse constaret. Sed est falsissimum, immo contrarium, omnes Synodi, omnes canones, omnium seculorum decreta praedicant: id perpetuo Episcopalis officil, munerisque proprium habitum in Ecclesia fuisse, docere populum, et ad eum diuinis de rebus, ac mysteriis verba facere; cuius in partem officii ita vocati sunt Presbyteri, et alii, si forte, Clerici, vt vel interim Episcopi pto virili parte idem facere non destiterint, vel facultatis inopia, aut negotiorum implicati molestiis potius quam quod eorum muneris id non esset, omiserint; ac denique non nisi concessu illorum, et auctoritate potestas sit praedicandi diuini verbi tributa ceteris.

IV. Sed iam canones paucos ex infinita copia proferamus. Arelatense sextum, quod anno 813. Carolo M. imperante factum est, canone tertio Episcopis praecipit, vt sacris literis, et diuinarum rerum studio dediti sint: *Vt vnusquisque illorum in propria parochia perfecte studioseque Presbyteros, et vniuersum populum docere, et instruere non negligat; q ia ignorantia mater cunctorum est errorum, et maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est,* QUI DOCENDI OFFICIUM IN POPULIS SUSCEPERUNT *etc. sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas, et canones, vt omne opus eorum in praedicatione, et doctrina consistat.* Turonense tertium eodem anno celebratum canone 4. *Solicite studeat*, inquit, *vnusquisque Episcopus gregem sibi commissum sacra praedicatione, quid agere, quidue vitare debeat, informare.* Sic Remense secundum eiusdem anni canone 14. decreuit: *Vt Episcopi diligentius operam dent, lectionique diuinae incumbant: id est canonicis libris, et opusculis Patrum,* ET VERBUM DEI OMNIBUS PRAEDICENT. Cabilonense tertium eodem anno canone 1. *Vt Episcopi assidui sint in lectione et scrutentur mysteria verborum Dei, quibus in Ecclesia doctrinae fulgore splendeant, et verborum Dei alimentis animas sibi subditas satiare non cessent.* Parisiense sextum anno 829. canone 4. et 5; ex Prospero: et canone 12. ex Pastorali Gregorii M. docendi officium Episcopalis esse muneris admonet, nec non canone 23. ex Fulgentio. Idem praecepit et Aquisgranense secun-

dum canone 2. 5. ac 6. Ad haec Meldense anno 845. sub Carolo Caluo, canone 29. Episcopis praecipit, vt *subditos sibi studiosissime docere contendant.* Valentium vero eodem rege, anno 855. canone 16. *Vt vnusquisque nostrum* (ait Episcopos alloquens) *siue per se, siue per aliquem, vel aliquos ex ministris Ecclesiae fideliter doctos ita verbum praedicationis tam in vrbe, quam foris in plebibus exhibeat, vt omnino eis admonitio, et exhortatio salutaris deesse non possit.*

V. In capitulari Ludouici Pii Imperat. Aquisgrani anno 816. edito canone 19. cautum est: *Ne Episcopi occasione praedicandi, aut confirmandi, oneri sint populis.* Et canone 28. *Episcopos monemus, vt siue per se, siue per vicarios, pabulum verbi diuini sedulo populis annuntient, quia,* vt ait beatus Gregorius, *iram contra se occulti iudicis excitat Sacerdos, si sine praedicationis sonitu incedit.*

Quin etiam Tom. 2. Concil. Gall. pag. 636. in formula praecepti, quo Francorum Reges Episcopatum alicui concedebant, inter alia, quae illi praescribuntur, officia, istud ipsum est: *Vt iuxta canonicam institutionem plebem vobis commissam assiduis praedicationum sermonibus expolire studeatis.* Et (p. 637.) in alia formula talis Episcopus ordinandus proponitur, *qui sciat commissa sibi talenta assiduae praedicationis sermonibus expolire.*

Et ne Gallicanae tantum Ecclesiae instituta percenseam, certe Graecorum sexta Synodus in Trullo, quae ao. 707. Constantinopoli est habita, in idem conspirat de Episcopatu iudicium. Ait enim canone 19. Ὅτι δεῖ τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτας ἐν πάσῃ μὲν ἡμέρᾳ, ἐξαιρέτως δὲ ταῖς κυριακαῖς, πάντα τὸν κλῆρον, καὶ τὸν λαὸν ἐκδιδάσκειν τοὺς τῆς εὐσεβείας λόγους ἐκ τῆς θείας γραφῆς ἀναλεγομένους τὰ τῆς ἀληθείας νοήματά τε, καὶ κρίματα. *Oportere Ecclesiae Praesides cum omni die, tum praesertim dominico, clerum omnem et populum docere, quae ad pietatem spectant, ex diuina Scriptura colligentes veritatis sententias, et iudicia.* Erant ergo tum διδάσκαλοι τῆς ἐκκλησίας οἱ ἐπίσκοποι, *Doctores Ecclesiae Episcopi,* vt interpretes loquuntur, nec a se munus illud excusserant. Eadem et anno Christi 675. Toletanae, adeoque totius Hispaniensis Ecclesiae mens fuit. Nam generale ex omnibus regni illius Episcopis Concilium Toleti habitum est, ordine vndecimum. Cuius memorabilis est ad Trapezitae veternum excitandum secundus canon. *Quantum quis praecelsi culminis,* inquit, *obtinet locum, tantum necesse est praecedat ceteros gratia meritorum, vt in eo, quod praesidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanitatis habens semper et in ore gladium veritatis, et in opere efficaciam luminis, vt iuxta Paulum, potens sit exhortari in doctrina sana, et contradicentes reuincere. Nos proinde nostri ordinis gradum, vel suscepti regiminis modum magnopere cogitare debemus, vt qui officium praedicationis suscepimus, nullis curis a diuina lectione priuemur etc.*

VI. Lateranensis quoque Synodus Innocentio tertio Pontifice, anno 1215. ex totius collecta Christiani orbis Episcopis, et eiusdem vniuersalis Ecclesiae sententiam complexa canone 10. sanxit, *Vt quoniam Episcopi propter occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, seu occasiones alias (ne dicamus defectum scientiae, quod in eis est reprobandum omnino, nec de cetero tolerandum) per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, viros idoneos*

ad id munus assumant tamquam coadiutores, et cooperatores. Atque hoc ipsum est, quod supra dixi, Episcopos nonnullos magis voluntate sua, aut occupationum magnitudine, aut facultatis inopia a praedicandi functione cessasse, quam quod iure, ac potestate ista carerent. Tum id vniuerse, et vbique numquam esse factum, quod tacite Trapezita innuit. Quid quod Pelagius secundus epistola secunda Episcopos peculiari vocabulo praedicatores nominat? Atque hoc firmissimo comprobare argumenti genere possumus vsu et exemplis Episcoporum, qui per totum orbem seculis omnibus exstiterunt, qui praedicandi docendique populi partes strenue sunt executi; quamuis eodem tempore publice nonnumquam Presbyteri, et ipsi verba facerent; quod Alexandriae institutum esse scimus, vt erudiendo populo, et explicandis Christiani dogmatis mysteriis illius ordinis praeponeretur aliquis; quo munere Pantaenum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Heraclam, Presbyteros omnes, non Episcopos, singillatim perfunctos esse historiae Ecclesiasticae testantur. Vt vel ex eo pag. 418. Trapezitae longe falsissima conuincatur opinio, qui tum demum, *vbi docendi munus abiecerunt Episcopi* (quod paullo post Nicaenam Synodum accidisse ex eius verbis colligitur) *exortum esse*, scribit, *in Ecclesia Doctorum genus, qui Episcopi non erant, qui hoc operis habuerunt, populum erudire praedicationibus, et Scripturas eis exponere.* Atqui si Eusebium, si Hieronymum, si ceteros legisset, qui illorum, quos dixi, et consuetudinis istius Alexandrinae Ecclesiae mentionem faciunt, aliter profecto iis de rebus existimasset.

VII. Meminit Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 46. quod est de Pantaeno, *veteris in Alexandria consuetudinis istius, quae a Marco Euangelista* obtinuerit, vt *semper Ecclesiastici Doctores*, ibidem publice populum erudirent, cui muneri Pantaenus praepositus est, Idem Hier. cap. 43. de Clemente Alexandrino, *Clemens*, inquit, *Alexandrinae Ecclesiae Presbyter, Pantaeni, de quo supra retulimus, auditor, post eius mortem Alexandriae Ecclesiasticam scholam tenuit, et κατηχήσεων magister fuit.* Eusebius vero in libro 6. c. 26. Historiae tum κατηχήσεως istius a Presbyteris susceptae meminit; tum praeter illos Euseb. l. 6. c. 26.) Heraclae qui Origeni successit, et Dionysii, qui Heraclae ad Episcopatum prouecto. Exstant Origenis Homiliae complures; extant et aliorum, qui Presbyteri cum essent, non Episcopi, populum publice docebant, cum interea pro virili parte, idem in officium praedicandi diuini verbi incumberetur ab Episcopo. Ita Flauiano Antiochiae praesidente conciones habebat Chrysostomus; Hippone regio, cui Valerius Episcopus praeerat, Augustinus. Atque ille quidem, quod tardioris erat linguae, et latino sermone minus promtus Valerius, iniunctum hoc sibi munus accepit, vt scribit Possidius. Cuius illud etiam est insigne aduersus Trapeziticum dogma πονηροῦ κόμματος, quod in cap. 5. prodidit, Valerium ob eas, quas dixi, caussas, Augustino *Presbytero potestatem dedisse coram se in Ecclesia Euangelium praedicandi, ac frequentissime tractandi, contra vsum quidem, et consuetudinem Affricanarum Ecclesiarum. Vnde etiam ei nonnulli Episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis, ac prouidus in Orientalibus Ecclesiis id ex more fieri sciens, vtilitati Ec-*

clesiae consulens, *obtrectantium non curabat linguas*, *dummodo factitaretur a Presbytero, quod a se Episcopo impleri minime posse cernebat.* Igitur Episcopi per id tempus in Affricanis Ecclesiis concionabantur ipsi, non id munus Presbyteris attribuebant.

VIII. Sed nec in Orientalibus ita Presbyteri illi, quibus coram Episcopis permissum erat loqui, praedicationi operam dabant, id vt soli facerent, ac non etiam Episcopi. Hoc qui vniuerse, infiniteque dicit Trapezita, et falso dicit, et tota ipsa antiquitatis memoria teste conuincitur. Quid enim? Non Episcopus praedicauit, ac populum docuit Augustinus in Affrica? Non in Oriente Chrysostomus? De quo quidem mirabile istud ac plane singulare (*An non in vita Chrysost. cap.* 36. *Tom.* 8. *edit. Sauil.*) in eius vita proditum est, vsque adeo praedicationi verbi Diuini deditum fuisse, vt inambulans etiam, et in solemnibus processionibus per viam incedens, perpetuo ad populum, qui eum magno numero, et incredibili audiendi cupiditate comitabatur, orationes haberet. Quid eodem tempore Basilius; Quid Gregorii ambo, Nyssenus, et Nazianzenus? Quid Amphilochius? Quid Asterius? Quid Proclus deinde Constantinopolitanus? Quid Alexandriae Cyrillus? quid in Italia Ambrosius, Gaudentius, Petrus Chrysologus, Maximus Taurinensis? In Galliis Eucherius, Caesarius, Eligius? quid vbique terrarum innumerabiles alii Episcopi? Quorum partim exstant in hodiernum vsque diem homiliae ad populum dictae, partim eos constat multum accurateque partem illam pastoralis muneris expleuisse? Res est (vt dixi, et saepius cogor dicere) notissima et obscura nemini, nihil tam Episcopos omnibus seculis factitasse, quam vt populo verbum Dei praedicarent. (a)

IV. Quis igitur satis, et pro eo, ac tam abnormis, et barbara meretur opinio castigare illam queat? quis talia scribere audentem ferat? Trap. pag. 417. Olim *Episcopos proprium hoc munus habuisse*, *docere*, *ac populum praedicatione erudire, orationique tantum vacare*, ET NVLLIS SE ALIIS ECCLESIASTICIS NEGOTIIS IMMISCERE, *cetera tum curasse Presbyteros*, praesertim *Sacramentorum administrationem* Item, idem pag. 418. *abiecto munere docendi ex munii: Presbyterorum quaedam praecipua sibi sumere coepisse*, *quae non liceret Presbyteris attingere*, *sed Episcopi soli agere possent*, *vt erat poenitentium reconciliatio*, *et Chrismae confectio*, *et puellarum consecratio.* Quae Trapezitae verba iterum repraesentamus, vt lectores intelligant, quem terminum illi ipsi mutationi praefixerit Episcopalis status, et cum iisdem verbis comparata omnia alia testimonia veterum, et exempla, quae contrarium ostendunt, nihil ad respondendum illi reliqui faciant.

(a) Luculentum est in hanc rem de Ecclesiis Caesareensi in Cappadocia, et Cypria Socratis testimonium lib. V. cap. XXII. *Apud Caesaream Cappadociae*, inquit ille, *et insula Cypro die sabbathi ac dominica sub vesperum, postquam accensae sunt lucernae, semper Episcopi, ac Presbyteri Scripturas interpretantur.*

Tum igitur Episcopi multi esse coeperunt, et ex ambone vox illorum audiri desiit, cum quae solis antea Presbyteris erant attributa, in se ipsi solos transtulerunt, Chrismatis consecrationem, poenitentium reconciliationem, virginum consecrationem. Atqui posteaquam tria haec canonum auctoritate solis Episcopis nominatim concessa sunt non minus, quam antea, constat Episcopos praedicandi verbi partes obiisse. De chrismate scriptum est a Damaso in vita Syluestri, (cui scriptori tantum tribuit Trapezita, vt ei admodum vni de re noua, inusitata, et Ecclesiasticae antiquitatis vsu tritis auribus inaudita, Episcopalis status mutatione, ac discrimine fidem habuerit) scribit igitur grauis ille, et laudatus Scriptor de Syluestro sic: *Constituit et Chrisma ab Episcopo confici.*

X. Quamobrem Nicaeni circiter Concilii tempus, quo Syluester praesedit Ecclesiae, innouatum illud est in Episcopali ordine, vt a praedicandi officio cessarent. Certe post annos a Nicaena Synodo 16. hoc est, in Antiocheno Concilio, decretum illud est, quod non nisi post deiectum ex ambone Episcopalem gradum contigisse vult Trapezita, vt Ecclesiasticorum bonorum administratio penes Episcopos esset, adhibitis tamen Presbyteris et Diaconis. Ex quo videlicet sequi demonstrauimus, *καινοτομίαν* illam Trapeziticam Episcopali in gradu sub Nicaena incidisse tempora. Illud vero extra controuersiam est, in secundo Carthaginensi Concilio, quod anno Christi 390. celebratum esse viri docti asserunt, tria illa Episcoporum excepta esse iuri, quae commemorata sunt a Trapezita. Nam canone 3. sancitum est ita: *Chrismatis confectio, et puellarum consecratio, a Presbyteris non fiant. Vel reconciliare quemquam in publica Missa Presbytero non licere*; ac sequenti canone *de reconciliandis poenitentibus* itidem agitur, idque auctoritate Episcopi fieri praecipitur. Et in Carthaginensi tertio, anno Christi 397. Canone 36. *Vt Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret, Chrisma vero nunquam conficiat.* De eodem Chrismate in Valensi prima Synodo, sub Leone Papa canon editus est primus; nec non in aliis plerisque Synodis decreta itidem facta. Quocirca, si vera est Trapezitae opinio, Episcopos oportet *abiecisse tum docendi munus.* Quod aperte falsum esse, tot illa, quae supra commemorata sunt, argumenta, et exempla demonstrant. Sed in tam luculentum, et apertum mendacium diligentius inquirere, abuti est otio, et lectoris ingenio diffidere. Profecto enim valde imperitum oportet esse, cui primo statim intuitu non illius commenti falsitas suboleat.

F I N I S.

POSITIONES
E X
IVRE ECCLESIASTICO
COMMVNI TVM PVBLICO TVM PRIVATO.

I.

Mundus duplici poteſtate regitur, ſacra ſcilicet, et politica.

II.

Quarum neutra ab altera nec directe,

III.

Nec indirecte pendet.

IV.

Eccleſia tanquam corpus ordinatiſſimum variis conſtat membris, non eundem actum habentibus; igitur eſt ſocietas inaequalis.

V.

Cuius ſupremum caput viſibile eſt S. Pontifex.

VI.

Qui adeo gaudet primatu non tantum honoris, ſed etiam iurisdictionis.

VII.

Eccleſiarum particularium paſtores, et rectores ſunt Epiſcopi.

VIII.

Quorum poteſtas cum ordinis, tum iurisdictionis eſt immediate a Deo profecta.

X

IX.

Principibus vero ſecularibus poteſtas ſacra, et ſpiritualis minime competit.

X.

Hoc tamen non obſtante ius circa ſacra iisdem denegari nequit.

XI.

Sunt enim Eccleſiarum nutricii, ac defenſores, et ita canones Eccleſiaſticos legibus ſuis ciuilibus tueri, et corroborare poſſunt.

XII.

Sunt quoque iidem defenſores populi ſui, et ſic detrimentum omne, etiam ab Eccleſia imminens, ab eo auertere obligantur.

XIII.

Ex quo principio deriuare licebit ius Placeti regii, nec non

XIV.

Ius ~~miniſtris, et~~ paſtoribus Eccleſiae dandi excluſiuam.

XV.

Decretum Gratiani non tam ob ſuam perfectionem quam ob temporis illius circumſtantias ad auctoritatem legis vniuerſalis peruenit.

XVI.

Reliquae partes, quibus corpus Iuris Canonici hodierni conſtat, habent in toto ſuo complexu per ſe vim, et auctoritatem legum Eccleſiaſticarum fideles in materiis poteſtati clauium ſubiectis obligantium.

XVII.

In aliis vero ex receptione vim obligandi acceperunt.

XVIII.

Quae in Germania eſt antiquiſſima, et receptioni iuris ciuilis Romani coaetanea.

XIX.

Haec tamen aliter intelligi nequit, quam saluis principiis iuris publici vniuerſalis, et particularis iuribusque et ſtatutis, ac moribus Germaniae noſtrae vniuerſalibus, et particularibus.

XX.

Canones ſub nomine Apoſtolorum collecti aeque perperam iis adſcribuntur; ~~ac conſtitutiones~~, quae itidem Apoſtolicae vocari ſolent.

XXI.

Idem iudicium eſto de epiſtolis decretalibus ab Iſidoro Peccatore, ſiue Mercatore exhibitis.

XXII.

Qui profeſſionem fidei ex praecepto Eccleſiae intra bimeſtre edere obligantur, et id facere omittunt, fructus perceptos etiam ante iudicis ſententiam reſtituere tenentur.

XXIII.

Effectus cuiuscunque legis humanae eſt obligatio, quae ſemper ad aliquid in conſcientia ſtringit.

XXIV.

Lex tamen Ecclesiastica Romae tantum promulgata non obligat fideles, nisi in singulis dioecesibus promulgatio subsequatur.

XXV.

In regula Lex tam canonica, quam ciuilis prohibens simul est irritans.

XXVI.

Et quidem pro vtroque foro.

XXVII.

Consuetudo contra canones etiam a laicis introduci potest.

XXVIII.

Tractatus est capitulatio, qua capitulum eligendi Episcopi potestatem sacram vel politicam ligare, aut minuere intendit, adeo irrita est, vt nec accedente iuramento conualidetur.

XXIX.

Etsi Episcopus in administranda iustitia sit negligens, Archiepiscopo tamen licitum non est de causa subditorum Episcopi in prima instantia cognoscere et iudicare.

XXX.

Nec iudex laicus Iudicis Ecclesiastici, nec hic illius negligentiam supplere potest.

XXXI.

Exemtio clericorum a foro et iurisdictione seculari in causis temporalibus iuri diuino adscribi nequit.

XXXII.

Cœlibatus clericorum ex ſolo iure Eccleſiaſtico deſcendit.

XXXIII.

Cuius quidem antiquitas, et iuſtitia a Proteſtantibus immerito negatur.

XXXIV.

Clericus in maioribus ordinibus conſtitutus nec licite, nec valide contrahit matrimonium.

XXXV.

In minoribus autem conſtitutus licite quidem, et valide contrahit matrimonium.

XXXVI.

Beneficium tamen Eccleſiaſticum ipſo iure amittit.

XXXVII.

Reſidentia clericorum curam animarum habentium in loco beneficii iure diuino eſt praecepta.

XXXVIII.

Nec conſuetudo contraria ab ea excuſare poteſt.

XXXIX.

Alienatio rerum eccleſiaſticarum immobilium, et mobilium pretioſarum iuriumque regulariter deficientibus ſolemnitatibus nulla eſt pro vtroque foro.

XL.

Licet facta ſit ab vna Eccleſia in aliam, vel perſonam eccleſiaſticam.

XLI.

Iuri decimandi paſſiuo laicus contra Eccleſiam tempore XL. annorum praeſcribit.

XLII.

Actiuum vero non nisi per praescriptionem immemorialem a laico adquiri potest.

XLIII.

Ius patronatus non per se, et principaliter, sed accessorie cum rei, cui adnectitur, venditione, alioue contractu translatiuo dominii in alium transferri potest.

XLIV.

Iuris huius etiam feminae capaces esse censentur.

XLV.

Exemtio clericorum ab oneribus reipublicae praestandis est iuris humani ex priuilegiis Imperatorum, et Regum originem suam trahens.

XLVI.

Ex eodem quoque fonte immunitas localis seu ius asyli deriuari debet.

XLVII.

Sponsalia tam de praesenti, quam de futuro metu graui, et iniusto extorta sunt ipso iure nulla, et inualida.

XLVIII.

Obligatio ex sponsalibus orta non omnino tollitur per subsequens matrimonium cum alia celebratum.

XLIX.

Princeps secularis impedimenta matrimonii tanquam contractus tam impedientia, quam dirimentia ex iusta, et graui causa stabiliendi ius habet.

L.

Matrimonia clandeſtina Proteſtantium in Germania habentur pro validis.

LI.

Papa non poteſt legitimare liberos illegitimos quoad temporalia, ne quidem diſpenſando, vt aiunt, in radice matrimonii.

LII.

Poena excommunicationis eſt poena mere ſpiritualis, quae nullos effectus ciuiles ex ſe, et ſua natura poſt ſe trahit.

EX IVRE ECCLESIASTICO PARTICVLARI GERMANIAE.

LIII.

Concordata nationis Germanicae ſingulos in Germania in vim legis obſtringunt.

LIV.

Caeſarem tamen nationemque Alemannicam inter vim duntaxat pacti habent.

LV.

Non eſt adeo nec in ſedis Apoſtolicae, nec in nationis Germanicae arbitrio eis pro auctoritate derogare.

LVI.

Licet iis contraria conſuetudo, et praeſcriptio ſaltim immemorialis opponi poſſit.

LVII.

Iuris reformandi titulus eſt vſitata praxis cum iure territorii, et ſuperioritatis.

LVIII.

Competitque Principibus Catholicis aeque ac Proteſtantibus.

LIX.

Nullaque alia niſi anni normalis limitatione circumſcriptum.

LX.

Ex quo conſequens eſt, vt ſimultaneum innoxium Paci Weſtphalicae nequaquam repugne

